riat, firma remanente constitutione præfata, quando ex clero regulari unus ex monachis dictarum congregationum deputatus eligatur. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus præfata ejusdem Benedicti prædecessoris, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; ac dictæ civitatis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima quarta aprilis millesimo septingentesimo septuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno secundo.

LXXXVIII.

Dat. die 4. maii 1776. Anno II.

Confirmatur erectio congregationis Oratorii sancti Philippi Nerii in civitate Mexicana in Indiis facta.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Ex quo divina majestas ad pastoralis officii fastigium Nos quamquam immeritos evexit, quantum in Nobis fuit, superno auxilio freti conati sumus, ut divini cultus, et catholicæ fidei propagatio, et animarum salus opportunis mediis augeatur, et propterea clericos, seu presbyteros congregationum operari cupientes, intentis studiis promovemus, et instituimus, favoribusque, et gratiis prosequimur opportunis, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Status congregationis in Indiis.

§. 2. Cum itaque, sicut accepimus, in civitate Mexicana in Indiis congregatio presbyterorum, et clericorum sæcularium oratorii sancti Philippi Nerii pluribus ab hinc annis canonice (ut asseritur) erecta, et instituta sit, iidemque clerici, et sacerdotes Christifidelium confessiones audire, Ecclesiæ sacramenta administrare, exhortationes ad populum habere, infirmos visitare, et alia pietatis, et charitatis opera non sine notabili piarum animarum spirituali consolatione, divinique cultus augumento juxta pium eorum institutum exercere cupiant, ac de præsenti exerceant; pro erectionis autem, et institutionis hujusmodi subsistentia, et validitate plurimum desiderent, illas apostolicæ Nostræ confirmationis robore communiri.

Laudatur, et confirmatur erectio congregationis, quæ habetur ad instar congregationis Oratorii de urbe.

§. 3. Nos presbyteros, et clericos prædictos, ut ad pia, et sacra opera hujusmodi exercenda promptiores reddantur, ac fructus, quos in vinea Domini plurimos hactenus Domino obtulerunt, eosdem uberiores in posterum afferant, specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati: erectionem, et institutiones prædictas, quatenus illæ canonice factæ fuerint autoritate, apostolica

lica tenore præsentium perpetuo approbamus, et confirmamus, illisque perpetuæ, et inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, et singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et nihilominus in eadem civitate unam prædictorum presbyterorum, et clericorum sæcularium in illam pro tempore recipi volentium congregationem ad instar cangregationis Oratorii hujusmodi in ecclesia sanctæ Mariæ, et Gregorii in Vallicella de urbe dudum apostolica auctoritate erectæ, dummodo tamen presbyteri, et clerici prædicti ordinationes, et instituta domus congregationis Oratorii alias a felicis recordationis Paulo pp. V. prædecessore Nostro confirmata receperint, et illa pro viribus observare intendant, auctoritate, et tenore similibus etiam perpetuo erigimus, et instituimus; ac nunc pro tempore existentibus præposito, presbyteris, et aliis ejusdem congregationis, sic de novo erectæ, qui ab ordinario approbati fuerint, ut confessiones quorumcumque ad eos accedentium quocumque anni tempore audire, ac aliis injungendis injunctis absolutionem impendere salutarem possint, ac valeant.

Eximitur a jurisdictione parochi, et aliis privilegiis exornatur.

§. 4. Sacerdotes vero in eadem congregatione recepti parochis eorum jurisdictioni minime subjaceant, et sibi ipsis ad invicem quæcumque sacramenta ecclesiastica quovis etiam paschatis resurrectionis Dominicæ tempore, vice, et loco parochi ministrare; superiores autem congregationis per præsentes erectæ per se, vel alium, seu alios ex ipsis jam approbatis suos subditos a censuris, non tamen in casibus Sedi apostolicæ reservatis, neque in literis die cœnæ Domini legi solitis contentis, absolvere, illisque debitam pœnitentiam similiter injungere, iidemque superiores receptos inobedientes, ac ipsius congregationis constitutionum transgressores punire, et pœnitentiæ pro modo culpæ eorum arbitrio, servata tamen forma ordinationum, et institutionum hujusmodi afficere, et si sibi videbitur cum consensu majoris partis dictæ congregationis culpabiles ejicere, invocato ad id etiam si opus fuerit auxilio brachii sæcularis, libere, et licite similiter possint, ac valeant, auctoritate, et tenore prædictis concedimus, et indulgemus. Ac demum, quod congregatio per præsentes erecta sit, ac perpetuo remaneat subjecta omnimodæ jurisdictioni archiepiscopi Mexicani in Indiis pro tempore existentis, qui tamen ordinationes, et instituta prædicta nullo modo mutare, et alterare possit similiter perpetuo statuimus, et ordinamus.

Clausulæ salutares.

§. 5. Decernentes præsentes literas semper, ac perpetuo validas, et efficaces esse, ac fore, suosque plenarios, ac integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus inviolabiliter observari; et ita per quoscumque judices, et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Concessio indulgentiarum.

§. 6. Ac insuper, ut ecclesia congregationis sic erectæ in majori veneratione habeatur, et ab ipsis Christifidelibus congruis frequentetur honoribus, aliique presbyteri ad congregationem per præsentes erectam ingrediendam magis incitentur, omnibus, et singulis presbyteris, et clericis, qui eamdem congregationem de cætero ingrediendi die primo eorum ingressus, si vere pœnitentes, et confessi sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumpserint plenariam; ac ipsis nunc, et pro tempore existentibus presbyteris, et aliis conviventibus ejusdem congregationis in eorum mortis articulo nomen Jesu corde, si ore nequiverint, invocantibus etiam plenariam; nec non tam illis, quam aliis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, ac confessis, ac sacra communione refectis, qui ejusdem congregationis per præsentes erectæ ecclesiam die festo sancti Philippi Nerii a primis vesperis usque ad occasum solis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium suorum peccatorum indulgentiam, et remissionem etiam perpetuo concedimus et elargimur; non tamen presbyteris, et aliis ejusdem congregationis quoties pro exhortationibus habendis convenerint quam aliis utriusque sexus Christifidelibus iisdem exhortationibus interessentibus decem annos, et qui ecclesiam dictæ congregationis in quatuor aliis anni diebus festis per dictos presbyteros semel tantum designandis, et ab ordinario approbandis a primis vesperis usque ad occasum solis festorum hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et, ut præfertur, oraverint septem annos, et totidem quadragenas. Eisdem vero presbyteris, et aliis dictæ congregationis quoties divinis

officiis in sua ecclesia, vel oratorio more dictæ congregationis celebrandis, aut congregationibus publicis, vel privatis, et secretis pro quocumque opere pio exercendo interfuerint, vel sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumpserint, aut conscientiam suam, antequam cubitum eant, examinaverint, seu flagellis ad carnem castigandam se afflixerint, vel quinquies orationem Dominicam, et toties salutationem angelicam tam pro anima presbyterorum, aut aliorum congregationis prædictæ, quam aliorum in Christi charitate defunctorum recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, aut quodcumque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet prædictorum operum sexaginta dies de injunctis eis, vel alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus regula Nostra de gratiis ad instar non concedendis, aliisque apostolicis, ac in provincialibus, et synodalibus conciliis editis constitutionibus, et ordinationibus, statutis, legibus, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut alia quævis exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 8. Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis manu notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die quarta maii millesimo septingentesimo septuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno secundo.

LXXXIX.

Dat. die 8. maii 1776 Anno II.

Præscribitur nova regula pro conservatione portus Cæsenatici perpetuo servanda.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cæsenatens civitatem singulari charitatis affectu, tamquam patriam diligere profitetur.

§. 1. Constantis Nostræ voluntatis, qua Cæsenatensem civitatem præcipuo, ac singulari charitatis affectu tamquam patriam Nostram dilectissimam, omni quidem tempore, sumus prosequuti, uberrima sane argumenta præbere nunquam omisimus, ac præsertim dum in minoribus constituti, et cameræ apostolicæ ærario præsidentes, omne adhibuimus studium, omnemque operam impendimus, ut ab ejus portu Cæsenatico nuncupato insalubris aer, qui ex salinarum proximitate oriebatur, illis alibi ex chirographo recolendæ memoriæ Clementis pp. XIV prædecessoris Nostri translatis in maximam populi terræ dicti portus commoditatem, atque utilitatem procul arceretur.

Benedict. XIII gravibus inflictis pœnis constituit sumptibus necessariis pro reparatione portus Cæsenatici.

§. 2. Porro, quoad expensas pro hujusmodi portus conservatione, et reparatione, peragendas, plura, sicut accepimus, a felicis recordationis Benedicto pp. XIII prædecessore quoque Nostro in suis idibus septembris anno incarnationis Dominicæ MDCCXXVII sub plumbo expeditis literis statuta, atque præscripta fuerunt, nimis asperis, ac indecoris in paragrapho nono earumdem literarum, cujus initium est = Præterea quoad sumptus = etiam indictis pœnis, adversus eos, qui suis mandatis obtemperare abnuissent, literasque hujusmodi bis anno quolibet in dictæ civitatis consilio, seu publicis comitiis perlegendas esse ipse Benedictus prædecessor constituit, ac alias prout in ejusdem literis prædictis, quarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, fusius continetur. Modo vero ineffabili Dei bonitate in supremo apostolatus solio præsidentes, ac novis in dies beneficentiæ Nostræ argumentis eamdem patriam, illiusque dilectos filios communitatem, et homines cumulare volentes, præscriptam methodum, seu regulam infradicendis immutare consonum arbitramur, ut in posterum, quod expensas hujusmodi quæ in hac perpetuo valitura constitutione decernimus, sit servanda.

Revocantur poenæ prædictæ, et statuitur quomodo expensis necessariis sit consulendum.

§. 3. Quo circa motu proprio, atque ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, et singulas injuriosas voces, et expressiones immerito contentas ab initio, et in toto dicto paragrapho nono incipiente = Præterea quoad sumptus = earumdem literarum una cum acerbioribus, ac æque offensivis pœnis ibidem indictis, revocamus, et abolemus, ac nullius roboris esse statuimus, et declaramus, perinde ac si nunquam usurpatæ, et injunctæ fuissent, simulque præscribimus, et jubemus, ut in iis, quæ excavationem, conservationem, et reparationem dicti portus respiciunt, in posterum deputati terræ dicti portus, nec intimari unquam, nec in consiliis, in quibus de rebus ad eumdem portum spectantibus agendum erit, jus habeant interveniendi, et si ad placitum consiliariorum pro meliori eorumdem instructione vocabuntur, nullum super propositis deliberationibus suffragium ferre valeant, ita exigente decore, et ipsius consilii claritate; sed sumptus, et expensæ semper fiant, nec quid immodicum, aut pro arbitrio gestum fuisse unquam dignoscatur sub pœna quinquaginta aureorum ab illis, qui legem hanc violaverint persolvendorum, et monti Pietatis dictæ civitatis applicandorum. Ut autem hujus intentionis Nostræ perennis semper extet memoria, has præsentes literas in publicis comitiis prædictis anno quolibet legendas esse, motu, et potestatis plenitudine paribus injungimus, et mandamus.

Quodlibet remedium adimitur, ne contra literas ullo tempore insurgere quis valeat.

§. 4. Decernentes easdem literas, et in illis contenta quæcumque etiam ex eo, quod homines terræ dicti portus ad præmissa vocati, et auditi non fuerint, nunquam de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut cujusvis nullitatis defectu notari, et impugnari posse, sed semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Omnibus in contrarium facientibus derogatur.

§. 5. Non obstantibus ipsius Benedicti prædecessoris literis prædictis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictæ civitatis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die octava maii millesimo septingentesimo septuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno secundo.

XC.

Dat. die 11. maii 1776. Anno II.

Confraternitas ssmi Sacramenti, et sanctæ Monicæ in ecclesia sanctæ Mariæ de Populo urbis instituta erigitur in archiconfraternitatem.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii primicerius, et custodes confraternitatis sub denominatione sanctissimi Sacramenti, et sanctæ Monicæ almæ urbis Nostræ canonice, ut asseritur, erectæ, quod ipsa confraternitas ordinaria auctoritate ab anno usque MDCCL. instituta fuit, modoque magno confratrum numero referta existit; ejus vero confratres plura pietatis opera exercent juxta proprium institutum, ac præsertim comitantur augustissimum Eucharistiæ sacramentum in parochiali ecclesia sanctæ Mariæ de Populo nuncupata urbis prædictæ, atque infra octavam corporis Christi solemnem peragunt processionem, festumque sanctæ Monicæ eorum protectricis præcipue colunt. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, prædicti primicerius, et custodes confraternitatem hujusmodi archiconfraternitatis titulo decorari plurimum desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præ-

missis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, confraternitatem sanctissimi Sacramenti, et sanctæ Monicæ hujusmodi in archiconfraternitatem cum omnibus, et singulis prærogativis, juribus, honoribus, et præeminentiis solitis, et consuetis auctoritate apostolica tenore præsentium, sine cujuscumque præjudicio, perpetuo erigimus, et instituimus; ac ipsius archiconfraternitatis sic erectæ officialibus, et confratribus præsentibus, et futuris, ut ipsi alias quascumque confraternitates ejusdem instituti extra almam urbem prædictam ubique locorum existentes eidem archiconfraternitati, servata forma constitutionis recolendæ memoriæ Clementis papæ VIII. prædecessoris Nostri desuper editæ, aggregare, illiusque omnes, et singulas indulgentias, et peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes ipsi confraternitati sic in archiconfraternitatem a Nobis erectæ concessas communicare libere, et licite possint, et valeant auctoritate, et tenore prædictis similiter perpetuo concedimus, et indulgemus.

Clausulæ salutares, et irritantes.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit, dictæ confraternitatis, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die undecima maii millesimo septingentesimo septuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno secundo.

CXI.

Dat. die 22. maii 1776. Anno II.

Facultas episcopo Aurelianensi supprimendi monasterium Cœlestinorum in sua diœcesi existens.

Venerabili fratri episcopo Aurelianensi.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Ratio decernendæ suppressionis.

§. 1. Alias cum pro parte claræ memoriæ Ludovici XV., dum vixit, Francorum regis christianissimi felicis recordationis Clementi pp. XIV. prædecessori Nostro delatum fuisset, in domibus monachorum Cœlestinorum existentibus in regnis Galliarum regularem disciplinam ita esse collapsam, ut nihil ex ipsis ornamenti, et utilitatis, plurimum vero detrimenti, offensionis, et scandali in christianum populum redundaret, omnemque reformationis spem sublatam fuisse, pro pastoralis officii debito piissimis ejusdem Ludovici regis votis annuendo, facultatem venerabilibus fratribus archiepiscopis, et episcopis regni Galliarum concessit ad annum duraturam, ut tamquam ejus, et apostolicæ Sedis delegati domos monachorum Cœlestinorum in suis respective diœcesibus existentes visitarent, ac sedulo inquirerent, si qui pravi usus, damnandæque consuetudines irrepsissent, et opportuna remedia adhiberent; quod si vacuum prorsus, et irritum compertum fuisset quodcumque instau-

randæ regularis disciplinæ studium, et conatum, modum excogitarent, ac viam proponerent, qua eidem Clementi prædecessori communicata, illud de prædictis monasteriis, vel omnibus, vel aliquibus, deque ejusdem ordinis personis decerni posset, quod divino cultui, Christifidelium bono, ac eorumdem monachorum conscientiæ, et tranquillitati magis profuturum videretur, ac alias prout ipsius Clementis prædecessoris desuper in simili forma Brevis die prima martii MDCCLXXIII expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur. Nuper autem Nobis exposuisti, quod earumdem literarum vigore ea, qua par erat, diligentia, zelo, et charitate, visitatio peracta fuit monasterii beatæ Mariæ virginis d'Ambert vulgo nuncupatæ ejusdem ordinis in ista Aurelianensi diœcesi existentis, et quamvis omne studium, omnemque curam adhibuisses, ut quatuor monachos, et unum oblatum totam familiam ejus tunc constituentes, et juxta præscripta in capitulo generali ejusdem ordinis in dicti monasterii filios declaratos ad regularis disciplinæ observantiam revocares, omnia tamen in irritum cesserunt, quippe quia ipsi monachi monitis, consiliisque hujusmodi dicti potius monasterii suppressionem præferendam esse duxerunt.

Mandatum concessum pro decernenda suppressione.

§. 2. Serio itaque perpensis omnibus in visitatione hujusmodi tam laudabiliter, ac prudenter gestis, consideratisque universis rerum, et personarum circumstantiis, cum spes omnis deficiat penitus restituendi in eodem monasterio regularem vivendi rationem, hinc est, quod Nos fraternitati tuæ facultatem, atque potestatem monasterium prædictum monachorum Cœlestinorum beatæ Mariæ virginis d' Ambert vulgo nuncupatum diœcesis Aurelianensis supprimendi, ac omnem regularem ejus qualitatem perpetuo in eo extinguendi auctoritate apostolica tenore præsentium tribuimus, et impertimur.

Omnia bona suppressi monasterii in pios usus erogunda esse præcipitur.

§. 3. Tibique, ut bona omnia tam stabilia, quam semoventia, jura, atque actiones ad monasterium hujusmodi quomodolibet spectantia, et pertinentia cujusvis generis, et speciei existunt in alios, pios tamen, usus assignare, et applicare libere, et licite possis, et valeas auctoritate, et tenore prædictis concedimus, et indulgemus.

Quatuor monachis conceditur, ut vitam agant extra claustrum in habitu presbyteri sæcularis.

§. 4. Quod vero attinet ad personas quatuor monachorum integram familiam ejusdem monasterii constituentium, cum oblatus prædictus interea, sicuti accepimus, ex hac vita migraverit, ut ipsis facultatem permanendi, quoad vixerint, extra claustra sui ordinis in habitu presbyteri sæcularis, et sub obedientia diœcesani loci, in quo morari contigerit, tribuere possis, et valeas pari auctoritate, et tenore impertimur.

Alteri monacho facultas conceditur transeundi ad aliud monasterium.

§. 5. Quia vero unus ex eisdem monachis, nempe dilectus filius Edmundus Nicolaus Cabiller dicti monasterii procurator suum jam patefecit animum perpetuo in ordine, et congregatione hujusmodi vivendi, quoties proposita reformatio ab aliquo ordinis, et congregationis hujusmodi monasterio admittatur, et amplectatur; hinc, ut eidem Edmundo Nicolao facultatem ad monasterium ejusmodi transeundi, atque in eo quoad vixerit, permanendi concedere pariter valeat, auctoritate, et tenore similibus elargimur.

Annua pensio singulis monachis assignatur ad vitam ex bonis monasterii.

§. 6. Volumus autem, quod ex fructibus, redditibus, et proventibus ejusdem monasterii d' Ambert, tam illius priori, quam cæteris monachis prædictis ea annua assignetur portio ipsis, seu quoad dictum Edmundum Nicolaum dicto respective monasterio, ad quod transire, et in eo permanere contingat quoad vixerint solvenda, et duratura, quæ tuo arbitrio, et prudentia sufficiens, atque congrua judicabitur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 7. Decernentes ipsas præsentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinal. de latere legatos, et apostolicæ Sedis nuntios judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, et ordinis, ac monasterii hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum de-

rogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie; ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima secunda maii millesimo septingentesimo septuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno secundo.

XCII.

Dat. die 22. maii 1776. Anno II.

Facultas episcopo Lemovicensi supprimendi monasterium Cœlestinorum in sua diœcesi existens, ejusque bona in pios usus erogandi.

Venerabili fratri episcopo Lemovicensi.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Agitur de eadem suppressione decernenda monachorum Coelestinorum in alia dioecesi, veluti in præceden ti constitutione.

§. 1. Alias cum pro parte claræ memoriæ Ludovici XV., dum vixit, Francorum regis christianissimi felicis recordationis Clementi pp. XIV., prædecessori Nostro delatum fuisset, in domibus monachorum Cœlestinorum existentibus in regnis Galliarum regularem disciplinam ita esse collapsam, ut nihil ex ipsis ornamenti, et utilitatis, plurimum vero detrimenti, offensionis, et scandali in christianum populum redundaret, omnemque reformationis spem sublatam fuisse, pro pastoralis officii debito, piissimis ejusdem Ludovici regis votis annuendo, facultatem venerabilibus fratribus archiepiscopis, et episcopis regni Galliarum concessit ad annum duraturam, ut tamquam ejus, et apostolicæ Sedis delegati domos monachorum Cœlestinorum in suis respective diœcesibus existentes visitarent, ac sedulo inquirerent, si qui pravi usus, damnandæque consuetudines irrepsissent, et opportuna remedia adhiberent; quod si vacuum prorsus, et irritum compertum fuisset quodcumque instaurandæ regularis disciplinæ studium, et conatum, modum excogitarent, ac viam proponerent, qua eidem Clementi prædecessori communicata, illud de prædictis monasteriis, vel omnibus, vel aliquibus, deque ejusdem ordinis personis decerni posset, quod divino cultui, Christifidelium bono, ac eorumdem monachorum conscientiæ, et tranquillitati magis profuturum videretur; ac alias prout inipsius Clementis prædecessoris desuper in simili forma Brevis die prima martii MDCCLXXIII expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur. Nuper autem Nobis exposuisti, quod earumdem literarum vigore ea, qua par erat, diligentia, zelo, et charitate visitatio peracta fuit monasterii de Ternes, vulgo nuncupati, ejusdem ordinis in ista Lemovicensi diœcesi existentis, quod unicum in tota diœcesi hujusmodi reperitur, et quamvis omne studium, omnemque curam adhibuisses, ut quatuor monachos totam ejus familiam constituentes, et juxta præscripta in capitulo generali ejusdem ordinis in dicti monasterii filios declaratos ad regularis disciplinæ observantiam revocares, omnia tamen in irritum cesserunt quippe quia ipsi monachi monitis, consiliisque hujusmodi dicti potius monasterii suppressionem præferendam esse duxerunt.

Episcopo facultas conceditur procedendi ad suppressionem, et consulendi bonis, et personis monachorum.

§. 2. Serio itaque perpensis omnibus in visitatione hujusmodi tam laudabiliter, ac prudenter gestis, consideratisque universis rerum, et personarum circumstantiis, cum spes omnis deficiat penitus, restituendi in eodem monasterio regularem vivendi rationem, hinc est, quod Nos fraternitati tuæ facultatem, atque potestatem monasterium prædictum monachorum de Ternes nuncupatum diœcesis Lemovicensis supprimendi, ac omnem regularem ejus qualitatem perpetuo in eo extinguendi auctoritate apostolica tenore præsentium tribuimus, et impertimur. Tibique, ut bona omnia tam stabilia, quam semoventia, jura, atque actiones ad monasterium hujusmodi quomodolibet spectantia, et pertinentia cujusvis generis, et speciei existant, in alios, pios tamen, usus assignare, et applicare libere, ac licite possis, et valeas, auctoritate, et tenore prædictis concedimus, et indulgemus. Quod vero attinet ad personas quatuor monachorum integram familiam ejusdem mo-

nasterii constituentium, ut ipsis facultatem permanendi, quoad vixerint, extra claustra sui ordinis in habitu presbyteri sæcularis, et sub obedientia diœcesani loci, in quo morari contigerit, tribuere possis, et valeas pari auctoritate, et tenore impertimur.

Et assignatur ei pensio ad vitam super bonis suppressi monasterii.

§. 3. Volumus autem, quod ex fructibus, redditibus, et proventibus ejusdem monasterii, tam illius priori, quam cæteris monachis prædictis, ea annua assignetur portio quoad vixerint duratura, quæ tuo arbitrio, et prudentia sufficiens, atque congrua judicabitur. Decernentes ipsas præsentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, ac delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales de latere legatos, et apostolicæ Sedis nuntios judicari, ac definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus constitutionibus, et ordinationibus, et ordinis, ac monasterii hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima secunda maii millesimo septingentesimo septuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno secundo.

XCIII.

Dat. die 25. maii 1776. Anno II.

Imminutio festorum in diœcesi Gnesnensi.

Venerabili fratri archiepiscopo Gnesnensi, seu venerabili fratri Ignatio Kozierowski episcopo Adratensi ejus in spiritualibus vicario generali

Pius PP. VI.

Venerabiles fratres salutem, et apostolicam benedictionem

Proemium.

§. 1. Paternæ charitatis, qua Christifideles omnes in Domino complectimur, illud maxime consentaneum videtur, ut eorum temporalium etiam commodorum rationem habeamus, quibus præsertim illi ad spiritualia consectanda fieri promptiores, alacrioresque possint, utraque enim ita componi, et constitui debent, ut altera abesse alteris nequeant, sed mutua inter se temperatione, quoad fieri potest, maxime provehantur. Quapropter, et si præcipue ad divinum cultum, animarumque salutem, Nostra apostolici ministerii sollicitudo conversa sit, tamen interdum, ea minime neglecta temporalium rerum opportunitate non solum impedimenta, si quæ sint, averti, sed et multo potiora ad eum finem adjumenta comparari posse cognoscimus, ex quo facile intelligere potestis, venerabiles fratres, quo animo exceperimus, non mediocria, quæ a festorum dierum numero in ea parte istius diœcesis Gnesnensis, cui supremus Borrussiæ dominator temporaliter præest, in populum emanant incommoda, hincque eidem populo opportuna dierum festorum diminutione ex apostolica benignitate providere, et fidelium utilitatibus, absque æternæ salutis dispendio consulere volentes, fraternitatibus vestris committimus, et mandamus, ut duo, vel unus vestrum in dicta diœcesis Gnesnensis parte hanc de festis diebus legem, in quam maturo consilio, et expensis omnibus descendimus, auctoritate apostolica denuntietis et edicatis, vel alter vestrum denuntiet, et edicat.

Declaratio dierum, qui festivi retineri debeant.

§. 2. Retineantur nempe, ac celebrentur festivi dies Resurrectionis cum sequenti, et Pentecostes item cum sequenti, aliisque per annum dies dominici, nec non Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, Circumcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis, et Corporis Christi, tum quinque dicati beatæ Mariæ virgini sci-

licet purificationis, annunciationis, assumptionis nativitatis, et conceptionis. Præterea et sancti Joannis Baptistæ, sanctorum apostolorum Petri, et Pauli, omnium sanctorum, sancti Stephani protomartyris, sancti Laurentii levitæ et martyris, sancti Adalberti episcopi, et martyris, et etiam festis principaliorum patronorum, cujusque ecclesiæ parochiales, ita ut intra circundarium parochiæ cum sua celebritate die, quo inciderint, retineantur. In his igitur omnibus festivis diebus pro veteri Ecclesiæ catholicæ instituto, Christifideles sacris adsse, a servilibus operibus abstineri, et jejunium in eorumdem vigiliis, quibus adnexum sit, observare debeant, et teneantur.

In reliquis vero festis servilia permittuntur, et vigiliæ revocantur.

§. 3. In reliquis vero festis non solum laboriosæ artium exercitationes, et servilia opera permittimus, et indulgemus, sed etiam eosdem Christifideles a quacumque vigiliæ, seu jejunii, diebus præcedentibus, dummodo aliunde, vel ratione quadragesimæ, vel quatuor temporum non præcipiatur, et audiendi missam in præfatis diebus festis obligatione absolvimus, et liberamus. Sed quoniam dum populorum conscientiæ consulimus, et eorum, qui in sudore vultus sui panem comedunt indigentiis providemus, sanctorum venerationem, ac salutarem Christifidelium pœnitentiam minuere non intendimus;

Officia, et missæ etiam in abrogatis festis servantur, et memoriæ sanctorum consulitur per commemorationem in festo ss. Petri, et Pauli.

§. 4. Ideo sanctorum, et solemnitatum officia, ac missas, tam in eisdem abrogatis festis, quam in eorum vigiliis a clero retineri, et sicut prius in quacumque ecclesia celebrari mandamus; sacrum vero jejunium, quod in prædictis vigiliis habebatur ad quartas, et sextas ferias adventus transferendum, ibidemque servandum edicimus, et constituimus. Ut autem non solum clerici, et divites homines sæculares, qui etiam diebus non festivis sacrosancto missæ sacrificio, ac divinis officiis, quod vehementer optamus, adesse possunt, sed etiam ii, qui rusticis detenti laboribus ecclesias diebus tantum festis adeunt, sanctorum apostolorum, ac martyrum, quorum solemnitates superius abrogavimus, memoriam servent, et venerentur; volumus, et præcipimus, ut die 29 junii ultra præcipuam sanctorum Petri, et Pauli solemnitatem, etiam aliorum apostolorum, et die 26 decembris ultra præcipuum sancti Stephani festum etiam aliorum sanctorum martyrum memoria celebretur. Quare die 29 junii in kalendariis ecclesiasticis ita festum inscribendum erit = ss. Petri, et Pauli, et commemoratio omnium apostolorum, ac tam in officio, quam in missa addatur commemoratio de communi apostolorum = die vero 26 decembris ita notetur = festum s. Stephani protomartyris, et commemoratio omnium sanctorum martyrum, ac tam in officio, quam in missa addenda erit commemoratio de communi plurimorum martyrum.

Monitum, et hortatio ad episcopos, ut populos doceant, quæ ad sanctificationem dierum festorum spectant.

§. 5. Hæc Nos venerabiles fratres non minus spiritualem, quam temporalem ipsius populi utilitatem intuentes, sancienda esse judicavimus, in quo plurimum solicitudini, et vigilantiæ vestræ confidimus, qui illud profecto sedulitate, studioque vestro efficietis, ne quid e divino cultu detractum videri possit, sed quo minor festorum dierum factus est numerus, major sit in populorum animis pietas, fervor, ac devotio: proinde vehementer cupimus, et in Domino fraternitates vestras hortamur, ut istos populos, diligenter edocendos curetis, quæ ad justam, legitimamque dierum festorum celebrationem pertinent, quo ardore, quave humilitate spiritus adstare sanctissimo altaris sacrificio, quo studio, qua frequentia divinis officiis, sacris concionibus, et christianæ doctrinæ institutionibus interesse debeant, et ne per eos dies Christifidelium corda graventur crapula, et ebrietate, ac sæcularibus cogitationibus, quam diligentissimam operam dare debebitis, ut prophana quæque, ludrica, et minus religiosa a publicis locis amoveantur, contra vero in conspectu illa sint, abundeque suppetant, quæ ad fovendam devotionem, atque pietatem plurimum prodesse possunt. Illud postremo curæ vobis sit, venerabiles fratres, ut isti fideles populi, de quorum utilitate per præsentes consulimus, intelligant, eum, cui temporaliter subjecti sunt, plurimam dedisse operam, ut Nos hoc apostolicæ concessionis beneficium ipsis largiremur, atque hac etiam re perspicue declarasse, quantum suorum commodis, et utilitati student, tanto proinde magis eosdem excitari debere non solum, ut alacriter debitam illi obedientiam, fidemque præstare pergant, verum etiam assidue Deum obsecrent, ut eum illis cumulet donis, quæ ad veram, et solidam felicitatem conferre possint, quæ quidem cuncta a sedulitate vestra maxime pollicemur.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus apostolicis, et in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus,

et ordinationibus, cæterisquæ contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima quinta maii millesimo, septingentesimo, septuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno secundo.

XCIV.

Dat. die 2. junii 1776. Anno II.

Consulitur definitivæ constructioni canalis in flumine Eridani penes civitatem Faventinam.

Reverendissimo cardinal Vitaliano Borromei del titolo di S. Maria in Aracœli della provincia di Romagna legato a latere.

Consilium construendi opus suscepit pontifex Clem. XIII.

§. 1. Ci è stato rappresentato dai reverendissimi cardinali della congregazione particolare da Noi deputata per mezzo del reverendissimo cardinal Andrea Corsini, che fino dall' anno 1763 a nome della Nostra città di Faenza umiliatosi al Nostro predecessore di fel. mem. Clemente XIII. il piano di preparare una navigazione da Faenza stessa al mare Adriatico, valendosi dell' acqua già dal fiume Lamone per uso dei molini, e di altri pubblici edificj superiormente alla città derivata, che al presente si fa di nuovo tornare in detto fiume Lamone, e dal molino di detta città denominato il molino della Croce scavando un canale, il quale con proseguire lungo la strada, che porta a Bagnacavallo medesimo, e successivamente lungo il fosso vecchio vada a finire in Po di Primaro nelle vicinanze di s. Alberto, giusta la linea indicata, e metodo proposto dal perito idrostatico Romoaldo Bertaglia nella sua relazione sottoscritta il dì 18 agosto 1754 ed approvata dal general consiglio di essa città tenuto il dì 11 dicembre 1755. Fu per organo della segretaria di stato richiesta sopra tale istanza l' informazione del cardinal legato di cotesta provincia vostro antecessore, che di quel tempo era il cardinal Crivelli, il quale assicurò, che l'opera non solo non apportava alcun danno alle comunità di Cottignola, e Bagnacavallo, e alla città di Ravenna, per il respettivo territorio delle quali passar doveva il nuovo canale, che anzi stata sarebbe utilissima non solo alla città di Faenza, ma ancora ad altre città, e terre di codesta provincia, e del pari vantaggiosissima alle terre di Cottignola, Bagnacavallo, e Lugo, atteso che nella maggior parte dell'anno, per la malagevolezza delle strade o costrette sono a rimaner prive di ogni commercio, o al grave dispendio di un difficoltoso trasporto, soggette esser debbono.

Ipse peculiarem ad hoc deputavit congregationem.

§. 2. Da detto Nostro predecessore per l'esame del surriferito piano venne destinata una congregazione particolare di reverendissimi cardinali, la quale per maggior istruzione dell' affare, ordinò, che fossero sentiti per una via stragiudiziale li pubblici rappresentanti di quelle città e terre, per il territorio dei quali passar doveva il suddetto nuovo canale. In seguito di che d'ordine del surriferito cardinal legato sotto il dì 17 aprile 1764 publicatasi una notificazione, con cui i rappresentanti di detta città, e terre venivano interpellati a comparire entro certo termine avanti il capo di essa congregazione, ed ivi dedurre quelle ragioni, che potevan loro competere, la città di Ravenna, i possessori della bonificazione Gregoriana, i deputati della regione di Savarna, la terra di Bagnacavallo per mezzo di stragiudiziali fogli esibirono le loro difficoltà, ed opposizioni, deducendosi dalla comunità di Ravenna la pretesa diminuzione, che dal nuovo canale avrebbe risentita ne' suoi dazj, dai possessori della bonificazione Gregoriana il preteso privativo uso dell' acqua del Lamone, dagli altri possessori della regione di Savarna il preteso danno, che avrebbero risentito nei loro terreni per la supposta debolezza degli argini del nuovo canale, per le rotte del Senio, per la mancanza de' necessarj scoli, quali pretesi pregiudizj venivano addotti a nome della comunità di Bagnacavallo unitamente agli altri, che supponevasi poter risultare alle campagne di quel territorio, e per il maggior ristringimento delle acque sopravallate in caso d'inondazioni del Senio, del Lamone, e del Pò, e per le occupazioni de' terreni, ne' quali lo stesso canale doveva escavarsi. Rinnovatasi a Noi per parte di detta comunità l' istanza per la deputazione di una congregazione particolare di reverendissimi cardinali, i quali esaminando per via economica, tanto le opposizioni già come sopra date, e che si ripromettevano di esibirsi tali, e quali, quanto ancora le risposte, che in esclusione di esse si sarebbero dedotte, avessero potuto formare del proposto piano quella vera, e giusta idea, che ci avesse poi determinato alla suprema, e finale risoluzione dell' affare.

Confirmatio, et deputatio alterius congregationis specialis.

§. 3. Con Nostro rescritto dei 20 marzo corrente anno, e per organo del Nostro reverendissimo cardinal pro-uditore all'effetto come sopra richiesto deputammo una congregazione di cinque reverendissimi cardinali Corsini, De Zelada, Alessandro Albani, Caraccioli, e Casali, acciocchè, maturamente ponderato l'affare, avessero a Noi fatta la relazione, tanto sull'idea del piano proposto, se utile in se, se eseguibile, se ad alcuno dannoso, quanto se l'esecuzione di esso accordar si dovesse, a spese della comunità di Faenza, la quale ne faceva l'istanza, oppure concedersi a persona da nominarsi, che nel caso, in cui non si fosse creduto o per ragione economica, o per politico riflesso eseguibile dalla comunità stessa con altro memoriale da Noi con altro rescritto dei 23 marzo corrente anno alla medesima congregazione rimesso, richiedeva di eseguire a proprie spese l'opera del nuovo canale. Ci è stato rappresentato ancora, che dopo aver premesso l'esame sì delle difficoltà come sopra proposte dalla comunità di Ravenna, dai possessori della bonificazione Gregoriana, della regione di Savarna, e dalla terra di Bagnacavallo, come delle risposte date a nome della comunità di Faenza, adunatasi la congregazione come sopra da Noi deputata sotto il dì 13 del prossimo passato mese di maggio, quantunque questa credesse, che l'opera in se stessa degna fosse di tutta l'approvazione, tuttavia, e per la situazione meno vantaggiosa dell'economia di detta comunità, e per incertezza della spesa stimasse opportuno di proporre piuttosto a quel cittadino, o cittadini, che mediante il memoriale dato da persona da nominarsi si offeriva di assumer l'opera a tutto suo carico, rescrivendo.

Decretum editum a congregatione deputata.

§. 4. = *Consulendum Sanctissimo pro approbatione operis juxta peritiam Bertaglia, sumptibus tamen civis se offerentis, non autem communitatis Faventiæ, et committatur eminentissimo legato pro tempore provinciæ Æmiliæ, qui pro sui arbitrio, et prudentia procedat ad operis exequutionem cum omnibus facultatibus necessariis, et opportunis etiam œconomicis, auditis summarie, et absque strepitu, et figura iudicii interesse habentibus, electis peritis partibus non suspectis, refectis damnis, quæ de jure sarcienda sunt, et proviso signanter, quod non solum non minuantur vulgo* = gli scoli = *actu existentes, sed novi etiam construantur, quatenus necessarii judicentur, et demum cum facultate subdelegandi quem vel quos pro feliciori operis exequutione expedire crediderit.* =

Laudat pontifex decretum.

VI. Invigilerà la superiora, che le vivande delle inferme, e specialmente le minestre sieno con carità, e pulizia apparecchiate, e condite a dovere. A un tal fine si porterà ella in cucina un' ora innanzi desinare, e le assaggerà, e trovandole per avventura mal in ordine, o scipite, non mancherà di prontamente rimediarvi. Il cibo per le inferme non dovrà essere ordinato da verun' altro, che dal medico; nè dovrà essere o mutato di qualità, o accresciuto, o scemato, che per ordine del medesimo. Alle convalescenti, alle quali sarà permesso di mangiar di grasso, non si dispenserà la carne, che pel pranzo. Per la sera elle si contenteranno di non prendere, che il solito zibibbo, e una piccola porzione di pane, e di astenersi dal bere vino; se pure il medico non avrà stimato altrimenti, al cui giudizio si dovrà intieramente stare sì in questo, come in tutto il rimanente, che condur possa a ristorare, e a ristabilire in salute le inferme.

(1) *Matth: cap. xxv. vers.* 45.

VII. Sebbene, giusta il comun costume degli spedali, non si concedono ai convalescenti, che soli tre giorni di vitto, come dir si suole, a tutta carne; nulladimeno, poichè sovente avviene, che pe' patimenti di già sofferti, e per la gravezza, e lunghezza delle malattie rimangano le inferme troppo estenuate di forze; non sarà lecito nè alla superiora, nè a verun altro di licenziarne alcuna, o di consegnarle i di lei panni, senza averne avuta dal medico l' approvazione.

VIII. Tutte le inferme dovranno essere con carità ugualmente trattate, senza che a veruna si usi parzialità, e distinzione. Per qualunque pretesto, o scusa, o apparenza di zelo non si permetterà a niuno o di mandare, o di portare di fuori ad alcuna inferma minestre, brodi, ristorativi, o altro, ancorchè chi volesse mandare, o portar tali cose, fosse fratello, o figlio della inferma medesima; altrimenti la permissione in contrario potrebbe essere nocevole alla stessa inferma, e ridonderebbe per avventura in iscredito del luogo pio. Al più si potrà tollerare il regalo di pochi biscottini; ma questi dovranno essere consegnati alla superiora, la quale non ne porgerà all' inferma, che uno, o al più due il giorno, quando peraltro ne abbia avuta la permissione dal medico.

Capo III.

Dei doveri della superiora dello spedale.

De debita illius quæ hospitali præest.

§. 20. IX. La superiora del conservatorio avrà anche la soprantendenza dello spedale. A questa apparterrà di destinare le zitelle, che dovranno alla giornata assistere alle inferme. Procurerà questa inoltre, che tutto ciò, che dovrà servire per le stesse inferme, sia con carità, e pulizia, e prontezza apparecchiato, e somministrato a tempo. Invigilerà eziandio, che non così facilmente si permetta a persone estere l'ingresso allo spedale medesimo; sì perchè non vi si faccia rumore, e non si rechi alle ammalate molestia, e disturbo; e sì ancora per la modestia, e pel decoro specialmente in quelle ore, nelle quali soglion mutarsi le aggravate. Non mancherà ella unitamente colle zitelle assistenti di far ogni giorno verso l' un ora di notte la visita alle stesse povere inferme, non solo per consolarle, e soccorrerle nelle indigenze loro; ma per sentire eziandio il polso, e osservare attentamente lo stato di ciascheduna, a fine di dare gli ordini opportuni di vigilanza, e di assistenza per quel che possa occorrere, alle guardie notturne; e a fin anche di farne il dì seguente esatta relazione al medico. Avrà pur ella tutta la cura, che per la notte sia sempre accesa la lampana. Baderà in fine, che si mantenga intiera l' osservanza di tutto ciò, che in queste regole si prescrive; e se avrà scoperto, che qualcuna delle zitelle abbia contravenuto a qualunque si voglia di esse regole, l' ammonirà prima; e se non ne vedrà l' emendazione, ricorrerà al padre curato di santa Maria, ch' è il priore del conservatorio, e dello spedale; o al signor assentista *pro tempore*, che tien le veci di monsignor tesoriere protettore, e superiore immediato del medesimo luogo pio, i quali castigheranno la colpevole, e faranno sì, ch' ella in avvenire soddisfaccia pienamente ai suoi doveri.

Capo IV.

Dell' officio, e doveri della custode della guardaroba dello spedale.

De officio, et munere custoditricis hospitalis.

§. 21. X. Quantunque la soprantendenza alla guardaroba dello spedale sia addossata alla superiora; tuttavolta dovrà ella incaricarne della custodia qualcuna delle zitelle orfane, che sia ben capace di esercitare a dovere, e con esattezza un tal impiego. Dovrà questa attendere, che la biancheria non iscemi, e sia pulita, e ch' essa guardaroba abbondi di lenzuola, di traverse, di fascette da sanguigne, di sciugatoj, di foderette, di pezze ec. e non tralasciare, quando vi manchi alcuna cosa, di avvisarne la superiora affinchè la provegga.

Capo V.

Dei doveri delle zitelle orfane assistenti alle inferme.

De muneribus puellarum, quæ ægrotantibus operam præbent.

§. 22. VI. Spetterà alla superiora di destinare otto zitelle, le quali a vicenda facciano ogni notte la guardia nello spedale. Queste si atterranno al seguente regolamento. A due sole per notte toccherà di vegliare; a una dall' ora della visita delle inferme fino a mezza notte; all' altra (che dalla prima sarà svegliata) da mezza notte fino all' alba. Le altre due terranno lo stesso ordine per

la seguente notte; e così successivamente faranno le rimanenti, finchè non ne sia compito il giro; e compito che sia, rincomincieranno da capo. Ma affinchè la seconda guardia notturna non sia di soverchio aggravata, dovrà la superiora deputare una giovane, la quale ogni mattina, essendo destata dalla suddetta seconda guardia, si vesta speditamente, e immantinente si porti allo spedale, e licenzi la seconda guardia medesima, che tornerà a prendere il suo giusto riposo.

XII. Le zitelle destinate ad assistere di giorno allo stesso spedale dovranno ogni dì scopare, spolverare, rifare i letti, ripulire gli urinali, le sputacchiere, le concoline, i bocaletti, e ogni altra cosa, che venga adoprata dalle inferme. Che se queste talvolta per avventura imbrattassero il pavimento, sarà cura delle zitelle stesse di subito ripulirlo; ricercandosi la pulizia non solo per una certa decenza dello spedale; ma pel ristabilimento eziandio delle inferme, e pel mantenimento della salute delle zitelle medesime, le quali si rammenteranno, che assistendo con quella carità, che da lor si richiede alle povere inferme, ne riporteranno il premio promesso da Gesù Cristo a quelli, che per amor di lui, in somiglianti opere di pietà volontieri s'impiegano.

Dichiarazione intorno ai beni dello spedale.

Declaratio quoad bona hospitalis.

§. 23. Siccome lo spedale delle povere inferme di Civita-Vecchia è unito al conservatorio delle orfane; e fin dalla prima sua fondazione è stato interamente mantenuto colle limosine, e co' lavori, e rendite del conservatorio suddetto; si dichiara, che se dalla pietà de' fedeli si farà mai a favore di esso spedale qualche lascito, e legato pio, questo si debba incorporare ai beni dello stesso conservatorio.

Tenor confirmationis apostolicæ.

§. 24. Cum autem, sicut eadem dispositio subjungebat, quo firmius prædictæ regulæ, seu constitutiones subsistant, et serventur exactius, apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio roborari idem Benedictus Victorius plurimum desiderat; Nos ipsum exponentem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, attenta relatione, et voto dilecti filii magistri Guillelmi Pallotta cameræ Nostræ apostolicæ thesaurarii generalis, cui easdem regulas, et constitutiones perpendendas, atque examinandas commisimus, præinsertas regulas, et constitutiones prædictas cum omnibus, et singulis in eis contentis apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulæ salutares, et irritantes.

§. 25. Decernentes easdem præsentes literas, ac in eis contenta quæcumque semper firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 26. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die xxi. junii MDCCLXXVI. pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 22. junii 1776. Anno I.I

XCVIII.

Confirmantur conventiones initæ occasione translationis monialium Castri Fidardi ad civitatem Recinatensem, et collegium sancti Viti cum communitate ejusdem civitatis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Nuper pro parte venerabilis fratris Cyriaci episcopi Lauretani, et Recinatensis, ac dilectorum filiorum communitatis, et priorum residentium nuncupatorum civitatis Nostræ Recinatensis expositum Nobis fuit, quod, cum propter constructionem fabricæ monasterii ordinis sancti Benedicti Castri Fidardi ejusdem Recinatensis, seu alterius diœcesis, illius moniales ad prædictam civitatem, et ibi existens collegium, ac ecclesiam sancti Viti auctoritate Nostra apostolica, fabrica hujusmodi durante, translatæ fuissent; inde ortum habuerunt nonnullæ quæstiones, et controversiæ a dicta communitate, ejusque hominibus promotæ, præsertim super modo, atque regula servanda in sacris functionibus peragendis in ecclesia prædicta, atque super loco, in quo publicæ scholæ habendæ essent. Ad dirimendas itaque, ac penitus eliminandas quascumque quæstiones et controversias idem Cyriacus episcopus, eo quo pollet quietis, ac pacis inter sibi commissas oves custodiendæ peculiari studio, post ædita a Nobis rescripta sub die xxv octobris, ac xii novembris superioris anni MDCCLXXV ad eamdem civitatem uti suum subdelegatum misit dilectum quoque filium Josephum Antonium canonicum Leonori ejus pro civitate, et diœcesi Lauretana in spiritualibus, et temporalibus vicarium generalem, qui de re hac feliciter egit cum iis, qui magistratus munus obtinebant superiore mense martii, confectisque præterea nonnullis foliis, in quibus pacta, et conditiones vicissim servandæ continebantur, ea hinc inde subscripta fuerunt. Postmodum vero in generali concilio habito die xxx ejusdem mensis martii, ea omnia, quæ, ut præfertur, conventa, atque constabilita fuerunt, idem consilium per vota favorabilia quatuordecim admisit, et approbavit. Ac præterea censuit, et decrevit per distinctam resolutionem, custodiam sacrorum suppellectilium, et argentorum, sub nonnullis pactis, et conditionibus tunc expressis concedendam esse eisdem monialibus per vota favorabilia decem, ac alias prout in dicto consilio, cujus tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius contineri dicitur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, quo firmius præmissa omnia ad pacem, et quietem firmandam, et fovendam, in animarum bonum, ac ad divini cultus incrementum conventa, et constabilita firmius subsistant, et serventur exactius, ea per Nos confirmari, et approbari tam dictus Cyriacus, quam communitas, et priores hujusmodi plurimum desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor confirmationis conventionis initæ ab episcopo.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorumdem priorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, prædicta omnia statuta, atque conventa, et a memorato consilio generali per distinctas duas resolutiones admissa, atque decreta, ut præfertur, auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, omnesque juris, facti, et solemnitatum defectus supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes ipsas præsentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§. 4 Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictæ civitatis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis fir-

mitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima secunda junii millesimo septingentesimo septuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno secundo.

XCIX.

Dat. die 25. junii 1776. Anno II.

Confirmantur literæ Urbani V. super jurisdictione commissarii castri Gualdi Nucerinæ diœcesis in omnibus delictis, exceptis sex gravioribus.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Providentia capta a cardinali Ægidio pro detegendis maleficiis.

§. 1. Romanum decet pontificem ita subditorum populorum commoditatibus, et utilitatibus consulere, ut apostolicæ Sedis benignitas erga ipsos magis in dies elucescat, ipsique promeritos fidelitatis, et obsequii sui fructus ex provida supremi principis dispositione percipiant. Nuper siquidem exponi Nobis fecerunt dilecti filii universitas, et homines terræ olim castri Gualdi Nucerinæ diœcesis, quod, cum jampridem castrum hujusmodi in ducatu Spoletano comprehensum reperiretur, existente tunc temporis bo. me. Ægidio dum vixit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali episcopo Sabinensi in illis partibus apostolicæ Sedis legato, ejus universitas coacta ab ipso fuit, una cum aliis universitatibus intra provinciam dicti ducatus existentibus deputare probum virum, qui referre deberet, omnia, et singula maleficia, quæ per quascumque personas de universitate hujusmodi commissa fuissent judici generali maleficiorum ejusdem provinciæ, et ducatus Spoletani, a quo cognoscenda, et punienda erant.

Urbanus V. homines universitatis castri Gualdi eximit ab adeundo judice maleficiorum existente in provincia pro maleficiis minoribus.

§. 2. Quia vero hominibus dictæ terræ, seu castri grave admodum reddebatur onus accedendi ad locum, et caput provinciæ, ubi generalis hic judex residebat, pro defensionibus parandis, ac peragendis, quandoque enim sumptus ad id necessarii promeritam ex delicto pœnam, etiam excedebant, hinc felicis recordationis Urbanus pp. V. prædecessor Noster per suas sub plumbo vi. kalendas maii pontificatus sui anno octavo expeditas literas supplicationibus dictæ universitatis nomine tunc humiliter porrectis, inclinatus, præscripsit, et ordinavit, ut in posterum non obstantibus statutis dicti Ægidii cardinalis, et legati, personæ ejusdem universitatis, sex dumtaxat exceptis criminibus, videlicet, hæresis, læsæ majestatis, cuditionis falsæ monetæ, diserobationis stratarum, violationis sanctimonialium, et homicidii, minime tenerentur super aliis in curia prædicti judicis generalis maleficiorum respondere, neque ad id a quoquam compelli possent invite; irritum, ac inane decernens, quidquid in contrarium attentari contigisset, ac alias prout in ipsius Urbani prædecessoris literis, quarum tenor est, qui sequitur nempe.

Urbanus episcopus

Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 3. Pastoralis officii debitum exigit, ut subjectis tota gravamina quantum cum Domino possumus, amoventes, ipsorum parcamus laboribus, et eos ab expensarum oneribus relevemus. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum universitatis castri Gualdi ad Nos, et Romanam Ecclesiam nullo modo pertinentis Nucerinæ diœcesis petitio continebat, quod olim bo. me. Ægidius episcopus Sabinensis tunc in partibus illis apostolicæ Sedis legatus inter cætera statuit, quod quælibet universitas cujuscumque castri, vel villæ consistentis infra provinciam ducatus Spoletani ad Nos, et Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis deputare teneretur inter se aliquem probum virum, qui sub virtute juramenti per eum præstandi, omnia, et singula maleficia, quæ per quascumque personas de universitate hujusmodi committi contigeret denuntiare, seu deferre teneretur judici generali maleficiorum curiæ dictæ provinciæ pro tempore existenti, cujus quidem denunciatoris officium duraret saltem per annum, quodque prædicta universitas juxta tenorem dictorum statutorum hujusmodi denuntiatorem sindicum vulgariter nuncupatum annuatim deputare curaret. Cum autem sicut eadem petitio subjungebat, singulares personæ de castro prædicto ex eo multipliciter graventur laboribus, et expensis, quodque idem denunciator prætextu statutorum hujusmodi etiam minora crimi-

Tenor constitutionis Urbani V.

na, seu delicta, quæ per easdem personas committi, seu perpatrari contingit in præfata curia denuntiat; idemque judex ad hujusmodi denunciationem super criminibus, vel delictis hujusmodi, ac etiam super injuriis verbalibus, et aliis lævibus culpis contra easdem personas procedit, ipsasque personas oportet ad prædictam curiam accedere, et inibi super hujusmodi criminibus, vel delictis, seu lævibus culpis, coram dicto judice respondere, et sæpius pro purgando innocentiam suam, testes illuc producere, unde contigit interdum, ut in productione testium hujusmodi, et aliis expensis necessariis, multo plus exponant, quam ascendant pœnæ pro delictis hujusmodi infligendæ in grave ipsarum personarum dispendium, et jacturam, pro parte visitatorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere eis super præmissis de opportuno remedio paterna diligentia curaremus.

Declarationes speciales circa jurisdictionem judicis castri Gualdi.

§. 4. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, volentes personas ipsas ab hujusmodi oneribus, et gravaminibus relevare, tenore præsentium statuimus, et etiam ordinamus, quod deinceps præfatis statutis dicti legati nequaquam obstantibus, idem denunciator dicti castri Gualdi, qui est, et erit pro tempore ad denunciandum, seu referendum prædicto judici, vel ejus curiæ hujusmodi crimina, vel delicta, seu etiam alia quælibet per quascumque personas universitatis ejusdem castri tam commissa, vel in posterum committenda, criminibus hæresis, læsæ majestatis, cuditionis falsæ monetæ, diserobationis stratarum, violationis sanctimonialium, et homicidii dumtaxat exceptis, minime teneatur, dictæque personæ super aliis, quam prædictis exceptis criminibus in eadem curia præfati judicis prætextu denunciationum hujusmodi respondere minime teneantur, nec ad id a quoquam compelli possint invite, et insuper ex nunc irritum decernimus, et inane quidquid contra statutum, et ordinationem Nostram hujusmodi per quoscumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Sanctio poenalis.

§. 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostri statuti, ordinationis, et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum apud montem Flasconem vi. kalendas maii, pontificatus Nostri anno octavo.

Loco ✠ plumbi.

Potestatem judicis castri Gualdi impugnavit gubernator Perusinus, non obstantibus providentiis captis a s. congregation consultationis status.

§. 6. Postmodum vero juxta earumdem literarum tenorem, ac dispositionem commissarius terræ olim castri Gualdi prædicti, licet illud avulsum deinde a jurisdictione dicti judicis generalis Spoletani, seu pro tempore existentis gubernatoris dictæ civitatis, et unitum fuerit gubernio alterius civitatis Perusinæ, semper quiete, ac pacifice suam exercuit jurisdictionem, quoad omnia alia delicta, præter tantum sex excepta in literis prædictis: quia tamen anno 1731. tunc existens gubernator præfatæ civitatis Perusinæ jurisdictionem ipsius commissarii in casu delicti, seu maleficii, quod inter sex excepta prædicta minime numerabatur, turbare cœperat, inde ortum habuit lis, qua delata ad congregationem tunc existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium consultationibus civitatum, et terrarum status Nostri ecclesiastici præpositorum, sub die decima augusti ejusdem anni prodiit sequens resolutio = In casu, de quo agitur, prævia sanatione processus, quatenus opus sit, gubernator Perusiæ, auctoritate s. Consultæ prosequatur eumdem processum, eoque completo transmittat summarium, et in posterum servetur Breve Urbani V. = Atque hac attenta resolutione, commissarius Gualdi tunc temporis ulteriores molestias minime passus in exercitio suæ jurisdictionis. Cum autem sicut eadem exposition subjungebat, successivis deinde temporibus, ministri ejusdem gubernii Perusini turbare adnixi fuerint jurisdictionem commissarii prædicti, ac per cohortem suorum satellitum provinciæ loca circumeuntium ad carceres civitatis Perusiæ hujusmodi secum duxerint etiam eos, qui fraudem, aut aliud quodcumque delictum minime inter sex excepta prædicta comprehensum in territorio Gualdi patrassent, hinc dicti exponentes, ne in posterum id quoque contingat, non sine gravi eorum damno, ac præjudicio, memoratas ipsius Urbani prædecessoris literas per Nos confirmari, et approbari, earumque executionem perpetuo injungi, et demandari plurimum desiderent.

Pro removendis incomodis, præcipitur observantia constitutionis Urbani VIII.

§. 7. Nos igitur quieti, ac tranquillitati ipsorum exponentium paterna charitate consulere, illosque a gravioribus expensis, et præjudiciis immunes reddere volentes, et eorum singulares per-

sonas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicantibus ipsorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, audita super præmissis relatione venerabilis fratris Thomæ Mariæ archiepiscopi Rhodiensis memoratæ congregationis secretarii præinsertas ipsius Urbani prædecessoris literas, cum omnibus, et singulis in eis contentis, et expressis, apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, et approbamus, ac perpetuæ, et inviolabilis apostolicæ firmitatis robur eis adiicimus, illasque tunc editas pro judice generali maleficiorum civitatis Spoletanæ ad pro tempore existentem gubernatorem civitatis Perusinæ, quatenus opus sit, extendimus, et ampliamus, atque exceptis sex delictis prædictis, in omnibus aliis quibuscumque criminibus in pösterum perpetuo exequi, et inviolabiliter observari, auctoritate, et tenore prædictis volumus, præcipimus, et mandamus.

Clausulæ salutares, et irritantes.

§. 8. Decernentes ipsas præsentes literas, et in eis contenta quæcumque, neque etiam ex eo, quod in præmissis interesse habentes, vel habere quomodolibet prætendentes, vocati, citati, et auditi non fuerint, vel illis non consenserint, nunquam de subreptionis, vel obreptionis vitio notari posse, sed semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Omnibus in contrarium facientibus derogatur.

§. 9. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac civitatum prædictarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima quinta junii millesimo septingentesimo septuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno secundo.

C.

Dat. die 27. junii 1776. Anno II.

Confirmatio facultatis admittendi, et retinendi puellas titulo probationis ad sex menses, pro monialibus monasterii sanctæ Mariæ de Misericordia ordinis servorum B. M. V. civitatis Mantovanæ.

Pius Papa VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectæ in Christo filiæ priorissa, et moniales monasterii sub titulo, seu invocatione sanctæ Mariæ de Misericordia nuncupatæ, sancti Barnabæ pariter nuncupatæ ordinis servorum beatæ Mariæ virginis civitatis Mantuanæ, quod alias, die nempe secunda maii MDC. tunc existentes moniales dicti monasterii petierunt, atque obtinuerunt a congregatione tunc itidem existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium præposita, ut in posterum puellæ, quæ a capitulo monialium dicti monasterii admissæ fuissent ad hoc, ut in eo regularem habitum per easdem moniales gestari solitum susciperent, et professionem per ipsas emitti consuetam emitterent regularem, spatio octo, aut decem tantum dierum dictum monasterium ingressæ ibidem in sæculari habitu, modesto tamen, permanere valerent, atque inde tam de regula, quam de institutis ordinis

hujusmodi instructæ dictæ puellæ redderentur, ac alias prout in literis ejusdem congregationis memorata die expeditis, quarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius dicitur contineri. Postmodum vero, anno nempe 1736 earumdem monialium nomine supplices porrectæ fuerunt preces dictæ congregationi, quibus petebatur, ut attenta tanta brevitate temporis, quo nec puellæ ipsæ rationem regularis vitæ ab eis in monasterio hujusmodi suscipiendæ cognoscere, nec moniales earumdem puellarum indolem, et mores inspicere poterant, tempus prædictum dierum octo, aut decem, ad sex menses prorogaretur, et ampliaretur; eademque congregatio petitam ampliationem, et prorogationem hujusmodi suo decreto ædito die v. octobris prædicti anni 1736. concessit, ac indulsit, et alias prout in decreto prædicto, cujus tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, fusius continetur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, memoratæ priorissa, et moniales prorogationem, et ampliationem ab eadem congregatione, ut præfertur, ad sex menses concessam per Nos confirmari, et approbari plurimum desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor indulta licentiæ.

§. 2. Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei grati absolventes, et absolutas fore censentes, audita super præmissis relatione tam venerabilis fratris episcopi Mantuani, quam venerabilis fratris Bernardini archiepiscopi Sidensis prædictæ congregationis facultatem admittendi ad clausuram in monasterio earumdem exponentium titulo probationis ampliatam, et prorogatam, ut præfertur, ad sex menses ante vestitionem puellarum monachandarum, post secutam tamen illarum acceptationem capitulariter, et per secreta suffragia, et de licentia qualibet vice ordinarii, auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, eique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus.

Peculiares declarationes, et derogationes amplissimæ omnium in contrarium facientium.

§. 3. Volumus autem, ut durante supradicto tempore probationis, hujusmodi puellæ modestis utantur vestibus sæcularibus, et leges clausuræ, aliasque conditiones in licentiis pro educandis impressis præscriptas religiose observent: et elapsis sex mensibus probationis, aut habitum religiosum servatis servandis assumant, aut monasterio egrediantur, salva tamen in præmissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non monasterii, et ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima septima junii millesimo septingentesimo septuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 28. junii 1776. Anno II.

CI.

Licentia concedendi titulo juris Gazzacà unam domum existentem in claustro Hebræorum urbis pro annuo canone ad ecclesiam s. Antonii Lusitanorum spectantem.

Dilecto filio Nostro in alma Urbe vicario generali

Pius PP. VI.

Dilecte fili noster salutem, et apostolicam benedictionem

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt moderni administrator, et gubernator ecclesiæ regiæ nuncupatæ sancti Antonii nationis Lusitanorum hujus almæ urbis Nostræ, quod eadem ecclesia inter alias domos in claustro Hebræorum dictæ urbis existentes, quas possidet, unam habet, quæ tenues admodum fructus annuatim reddit, ac restaurationibus persæpe indiget, indeque nonnullæ etiam perturbationes oriuntur. His itaque serio perpensis in congregatione eorum œconomica, opportunum omnino ipsi exponentes duxerunt, eamdem domum perpetuo locare cum obligatione ex parte dictæ ecclesiæ conservandi, seu manutenendi muros magistros vulgo nuncupatos, et trabes itidem magistros ejusdem domus, in casu tamen, quo deficiat culpa, dolus, ac negligentia supina conductorum, et inhabitantium, sub congrua annua pensione, aliisque pactis ejusdem ecclesiæ utilitatem præseferentibus uni ex locis ab ipsis Hebræis scholis nuncupatis, quatenus ad id nostra, et hujus sanctæ Sedis sibi super hoc licentia suffragetur, atque facultas. Nobis propterea dicti exponentes locationem hujusmodi, si fiat, in evidentem dictæ ecclesiæ utilitatem fore cessuram, humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor licentiæ concessæ.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audita super præmissis relatione dilecti filii Nostri Francisci Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis Carafa nuncupati congregationis venerabilium fratrum Nostrorum ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium præpositorum, circumspectioni tuæ per præsentes injungimus, ut veris existentibus narratis, postquam compereris in evidentem dictæ ecclesiæ utilitatem fore cessuram iisdem exponentibus facultatem ineundi concessionem dictæ domus titulo tamen juris Gazzacà in perpetuum cum annuo canone, ac conditionibus proficuis eidem ecclesiæ auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio, et conscientia impertiaris, ita tamen, ut census annuus solvatur præcipuus, ac liber supportatis omnibus oneribus realibus, et personalibus per conductorem, ac descriptis lateribus, et inserta planta in instrumento concessionis, nec non melioramenta desuper pro tempore quomodolibet facta ad ecclesiam hujusmodi pleno jure, atque omnino libere pertineant.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus felicis recordationis Pauli II, et aliorum Romanorum pontificum prædecessorum Nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, atque recolendæ memoriæ Benedicti papæ XIV itidem prædecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima octava junii millesimo septingentesimo septuagesimo sexto pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 7. julii 1776. Anno II.

CII.

Unio ecclesiarum Panormitanæ, et Montis Regalis cum assignatione fructus secundo dictæ in causam conservationis, et incrementi navium bellicarum ejusdem regis.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Apostolici suscepti regiminis cura Nos admonet, ut fratres et episcopos Nostros provida solicitudine in eis demandati pastoralis muneris exercitio confovere curemus, ut et ipsi præsidium ab hac sancta Sede continuo percipiendo, et beato Petro, et Nobis devotiores studeant omni tempore permanere. Qua de re dum majori qua possumus vigilantia ecclesiarum omnium commodis, earumque utiliori regimini prospicimus, sic et singulis ecclesiarum pastoribus præsto esse non dubitamus, prout pensatis circumstantiis conspicimus in Domino salubriter expedire. Opportune igitur ex commisso Nobis apostolicæ servitutis officio circa pacificum ecclesiarum statum, et procul amoto, quoad fieri potest, controversiarum, et litium incommodo, et visceribus charitatis intendimus ad ea, per quæ ecclesiæ ipsæ sublatis dissensionum fomentis, in pace et quietis mansuetudine fructus bonorum operum proferre valeant ampliores.

Enumerantur incomoda, quæ obvenerunt ab erectione dioecesis montis Regalis.

§. 2. Nostræ itaque mentis intuitum dirigentes ad satis cæteroquin celebrem diœcesim Montis Regalis probe novimus usque a sui primordio, ea ibidem evenisse incommoda, damna, et præjudicia, quæ ex hujusmodi controversiis, inter pastores pluries exortis in sibi concreditum populum pervenerunt, prout historica monumenta certum id undique notum reddunt atque exploratum. Dudum siquidem cl. mem. Guillelmus II. Siciliæ rex religioso imperii sui exordio, locum istum Montis Regalis sic peramanter aspexit, ut non solum in eo conspicuum monasterium, novamque ecclesiam erexerit, sed et amplissimis redditibus ditaverit; et nec inde contentus spiritualibus etiam prærogativis, ac privilegiis insignem reddere omnino curaverit: etenim postea quam a fel. rec. Alexandro pp. III. prædecessore Nostro monasterium hujusmodi, Panormitanæ ecclesiæ licet maxime proximum, liberum atque exemptum ab ordinaria jurisdictione archiepiscopi Panormitani declarari obtinuerat, vehementer etiam atque etiam tum ab eodem Alexandro, tum a recolendæ memoriæ Lucio pp. III. prædecessore itidem Nostro petiit, efflagitavitque ut non solum episcopali, sed etiam metropolitico jure ipsamet ecclesia Montis Regalis donaretur. Idem vero Lucius prædecessor, ne e conspectu piissimi, et liberalissimi regis difficilis existere videretur, ac licet insolitum agnovisset quod duæ metropoles etiam vicinæ consisterent, nihilominus per suas anno incarnationis Dominicæ MCLXXXII. nonis februarii sub plumbo expeditas literas primum archiepiscopum novæ metropolitanæ ecclesiæ Montis Regalis suis manibus consecratum, et pallii dignitate decoratum constituit, nec non religiosa monachorum familiam jam alias ex alio Cavensi monasterio translatam, ibi perpetuo statuit, prout in ejusdem literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus continetur. Pro nova autem constituenda diœcesi hujus nuperrimæ metropolis, quamquam ab ipso Guillelmo rege sumptuoso ære ditatæ, opus tamen omnino fuit, ut alii episcopi tam ultra quam citra Pharum nimis gravem suorum jurium jacturam cum maxima perturbatione ecclesiasticæ jurisdictionis subirent, quippe quia monasteria, et ecclesia, ac bona demum quæcumque huc illuc existentia, novo huic archiepiscopo subjecta tunc fuerunt, ac præterea idem Lucius prædecessor Noster Cataniensem ecclesiam suffraganeam Montis Regalis in memoratis suis literis ad multam instantiam ipsius Guillelmi regis declaravit.

§. 3. A Panormitana insuper ecclesia sejuncta fuit tota parochia una cum castello Corleonis, et ecclesia sancti Silvestri, a diœcesi Messanensi monasterium in loco Monaclii nuncupato, ab altera Agrigentina castellum Bartalary, et casale Busacchini, nec non ab alia Mazariensi municipium Calatrasii respective separata, et novæ Montis Regalis metropoli supposita fuerunt; quæ demum et monesterium sancti Salvatoris de Mortello a Regitana, monasterium Carbonis nuncupatum ab Aglonensi, et ecclesiam sanctæ Mariæ de Maccia a Bisiniensi respective diœcesibus sejuncta, cum pertinentiis omnibus et red-

Dismembrationes factæ pro constituenda nova dioecesi, malis, et incomodis præbuerunt.

ditibus obtinuit. Vix tamen sic constituta nova Montis Regalis diœcesi ex tot distinctis, ac inter se dissitis locis, monasteriis et ecclesiis, quæ difficillime sane ab uno pastore visitari, et gubernari poterant, initium habuerunt innumeræ quæstiones, et controversiæ inter novum Montis Regalis archiepiscopum, aliosque ordinarios super ecclesiastica jurisdictione, quarum nonnullæ cum evidenti quoque animarum Christifidelium perturbatione atque periculo, decisæ numquam, et ideo acriores adhuc perseverant.

Jurisdictionales quæstiones, quæ in diem percrebuere suaserunt unionem, ut scandala removerentur.

§. 4. Inter has autem quæstiones et controversias eæ sane, quæ ad jurisdictionem loci seu territorii pertinent, aliquo saltem modo tollerari posse viderentur, quoties pro illis, quæ temporibus rec. mem. Innocentii III., et Clementis pp. V. prædecessorum Nostrorum exarserunt, tot exorta non fuissent scandala, propter indeclinabilem quidem animorum dissensionem quæ inter populos, sacerdotes æque ac inter episcopos inde semper obvenit. Id tamen quod præ ceteris omnibus peculiari animadversione dignum dubio procul videtur et opportunæ providentiæ remedium efficax exposcit illud sane est, quod in dies solet accidere: pro tempore enim existens Montis Regalis archiepiscopus eo sub præsidio, quod in ipsa civitate Panormitana una reperiatur ecclesia sub titulo seu invocatione sancti Cataldi quæ ad ipsum pertinet, hinc cum ad illa identidem se transferre assueverit viriliter substinuit, atque contendit confirmationis sacramentum ibidem ministrare, sacrosque ordines conferre, spretis posthabitisque perpetuis querelis Panormitanorum archiepiscoporum qui sese his omnibus indesinenter opposuerunt, eademque sane de causa cum sibi liberum omnino esse putet Montis Regalis archiepiscopus, prout sibi libuerit ad ecclesiam præfatam, eidemque adnexas domos accedere posse, in publicis viis Panormitanæ civitatis jus sibi esse constanter asserit, e conspectu ipsius met archiepiscopi Panormitani benedictionem populo publice et palam impertiendi, ac præterea casu quo sive ipse, sive ejus familiares aliqua infirmitate detenti reperiantur, in domibus ecclesiæ prædictæ sancti Cataldi adnexis, archiepiscopus Montis Regalis jubet ut augustissimum Eucharistiæ sacramentum a sua civitate Montis Regalis transferatur. Pro pastoralis igitur officii Nostri debito, cum ab initio tanti suscepti oneris acceperimus jampridem temporibus scilicet fel. rec. Clementis pp. XIV. prædecessoris Nostri non solum præcognitum, verum etiam pene ac statutum fuisse modum quo opportunum præmissis omnibus remedium adhiberetur; hinc Nos illi plene adhærentes, et demum tot perturbationibus ac periculis eliminandis, ex quibus spirituale bonum animarum vel deficit, vel admodum minuitur, ac plura in earum damnum mala in dies possunt obvenire, auxilium a Domino invocantes, illud unum remedium exhiberi posse cognovimus, quod etiam pro sua eximia pietate, singulari religionis studio, et absque ullo sanctæ Sedis præjudicio suadet, et postulat charissimus in Christo filius Noster Ferdinandus utriusque Siciliæ et Hierusalem rex illustris.

Tenor decretæ unionis, cum suis declarationibus, et reservationibus.

§. 5. Quo circa rebus omnibus, earumque circumstantiis seria, ac matura consideratione pensatis, nil magis ad pacem inter pastores restituendam et ad publicam Christifidelium tranquillitatem, eorumque spiritualem utilitatem expediri cognovimus, quam ejusdem metropolitanæ ecclesiæ Montis Regalis unionem cum altera metropolitana ecclesia Panormitana. Motu itaque proprio et ex certa scientia Nostra, ac de apostolicæ potestatis plenitudine metropolitanam ecclesiam præfatam Montis Regalis per obitum bon: mem. Francisci Mariæ Testa ultimi illius archiepiscopi de præsenti vacantem, una cum dicta metropolitana ecclesia Panormitana cum sequentibus legibus, et conditionibus, æque principaliter unimus, ita ut in posterum ecclesia Panormitana et Montis Regalis duæ metropolitanæ, insimul unitæ sint, et esse debeant, ac in concistorialibus actis, et in literis apostolicis super promotione novi archiepiscopi ad præfatas ecclesias Panormitanam et Montis Regalis, sic ut præfertur, principaliter unitas semper fieri debeat utriusque mentio, ne unquam ejusdem ecclesiæ Montis Regalis jam tot titulis insignis, suique munificentissimi fundatoris Guillelmi regis memoria excidat atque deficiat, sed illa perpetuis futuris temporibus semper conservetur, ac undique firma permaneat. Eas tamen leges, et conditiones deinceps servandas omnino esse volumus, ne ulla amplius, aut inter utriusque metropolitanæ ecclesiæ capitula oriri umquam possit lis vel controversia, sed omnes quiete et tranquille viventes

vineam Domini excolendo uni tantum animarum saluti operam dare procurent. Mandamus itaque ut ecclesiæ Cataniensis et Syracusana, quæ præfatæ metropolitanæ ecclesiæ Montis Regalis suffraganeæ huc usque fuerunt, in posterum Panormitanæ ecclesiæ, seu potius ecclesiis sic unitis subjectæ sint et censeantur. Ad hæc statuimus quoque ut in omnibus et quibuscumque actis respicientibus, sive solam ecclesiam Panormitanam, sive promiscue utramque ecclesiam Panormitanam nempe et alteram Montis Regalis, præferatur semper denominatio ecclesiæ Panormitanæ. In aliis vero actis, qui ad solam ecclesiam tantum Montis Regalis pertineant, hujus denominatio alteri Panormitanæ debeat omnino præferri. Præterea tempore vacationis sedis archiepiscopalis, capitulum ecclesiæ Panormitanæ æque ac illud ecclesiæ Montis Regalis proprium vicarium capitularem respective independentem, servatis alias de jure servandis, eligat.

Quidquid ab alienis diœcesibus sejunctum fuit, respectivis ecclesiis restituitur.

§. 6. Interim vero volumus, ut quid quid ab alienis diœcesibus sejunctum antiquitus fuit, et unitum diœcesi Montis Regalis, id totum eisdem ecclesiis seu diœcesibus restituatur. Qua de re vicarius capitularis ecclesiæ Montis Regalis, ejus vacatione ut præfertur eveniente, ecclesiasticam suam jurisdictionem exercere dumtaxat possit in civitate præfata Montis Regalis, et in ejus suburbiis, ex quibus secuta restitutione præfata, sua diœcesis remanet constituta: verum quia secuta etiam hujusmodi restitutione, et unione ecclesiarum et locorum, pro quibus, dum ab eorum diœcesibus sejuncta ac dismembrata fuerant, proprii respective episcopi et ordinarii justam compensationem a piissimo fundatore præfato sunt assecuti, fructus aliqui, redditus et proventus adhuc supersunt.

Nonnulla bona diœcesis montis Regalis applicantur in causam ferendi auxilium contra hostes christiani nominis.

§. 7. Hinc est quod Nos considerantes regni Siciliæ litora piratarum, turcarum, aliorumque christiani nominis hostium incursionibus præ cæteris omnibus exposita in dies reperiri; volentesque propterea non solum spirituali Christifidelium omnium tam in regno præfato quam in tota Italia existentium utilis, sed etiam securitati prospicere atque consulere vestigia pariter sectantes plurimorum Romanorum pontificum prædecessorum Nostrorum, qui ex redditibus ecclesiasticis ejusdem ecclesiæ Montis Regalis plura suppeditarunt in eamdem causam auxilia atque subsidia, ipsiusque Ferdinandi regis votis, quantum in Domino possumus, benigne annuere volentes, per præsentes præcipimus et mandamus, ut in posterum redditus, fructus, et proventus mensæ præfatæ ecclesiæ metropolitanæ Montis Regalis in conservationem, et incrementum classis triremium bellicarum ejusdem Ferdinandi regis ad retundendos incursus hostium christiani nominis perpetuo convertantur ut infra et erogentur. Qua de re venerabili fratri nunc et pro tempore existenti Panormitanæ ecclesiæ seu potius ecclesiarum sic unitarum archiepiscopis, in aucti sibi laboris congrua mercede, annua quantitate a præfato Ferdinando rege definienda, quæ scutorum mille monetæ minor non sit, quod reliquum erit, in causam conservationis et incrementi classis præfatæ erogandum et convertendum. Personis ab eodem rege et ejus successoribus deputatis seu deputandis persolvi curent et faciant, contradictores quoscumque etiam per ecclesiasticas censuras compellendo. Volumus autem, quod redditus et fructus hujusmodi in hunc tantum, et non in alios usus convertantur: quod si quandocumque futuris temporibus, alia magis etiam urgens ac pia superveniat occasio, eosdem fructus ac redditus in diversos usus convertendi, ac sive in toto sive in parte illos erogandi, id Nobis, Nostrisque successoribus inconsultis, fieri omnino nequeat, sed opportune expositis omnibus iis, quæ tractu temporis mutationem aliquam, seu diminutionem possint suadere, quid tunc in Domino statuendum erit, apostolica auctoritate præscribatur.

Omne juris remedium revocatur, adversus literarum tenorem.

§. 8. Decernentes easdem præsentes literas etiam ex eo quod in præmissis interesse habentes seu habere quomodolibet prætendentes non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, nec causæ propter quas eædem præsentes emanarint sufficienter adductæ, justificatæ et verificatæ non fuerint, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aliove quantumvis magno et inexcogitato defectu, notari, impugnari, infringi, retractari, ad terminos juris reduci posse, sed semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 9. Sicque in præmissis omnibus, et singulis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et apostolicæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 10. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non Nostra, et cancellariæ apostolicæ regula de experimendo vero annuo valore in unionibus, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non ecclesiarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum die septima julii millesimo septingentesimo septuagesimo sexto pontificatus Nostri anno secundo.

CIII.

Dat. die 3. augusti 1776. Anno II.

Revocatio utriusque Brevis Clementis XIV. quoad præsidentiam civitatis Avenionensis.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Tenor primæ constitutionis Clementinæ.

§. 1. Alias felicis recordationis Clemens pp. XIV. prædecessor Noster per suas in simili forma Brevis die xxii. januarii MDCCLXXIV. expeditas literas voluit, ac mandavit ut in posterum pro tempore existentes vicarii, et vice-legati Avenionenses titulo præsidis semper uterentur, et gauderent, ac propterea vicariatum, et vice-legationem hujusmodi in præsidentiam Avenionensem nuncupandam perpetuo erexit, et instituit, atque illius pro tempore deputandi præsides ad instar aliorum, qui pro aliis legationibus eliguntur, et deputantur sibi, et sanctæ Sedi absque ulla dependentia a congregatione Avenionense nuncupata, immediate subjectos decrevit, et declaravit, eisdemque præsidibus omnes, et singulas facultates, prærogativas, et præeminentias, quas vice-legati Avenionenses usque tunc habuerant, et quibus illi usi fuerant, concessit, ac indulsit; voluitque insuper, ut in præsides hujusmodi ii assumerentur viri, qui non solum pietate, doctrina, prudentia, et vigilantia præditi essent, sed etiam suos labores in aliis sibi antea demandatis muneribus in apostolicæ Sedis obsequium laudabiliter pertulissent, nec non in primum præsidem Avenionensem cum omnibus, et singulis facultatibus prædictis dilectum filium Nostrum Angelum Mariam tunc archiepiscopum Ancyranum, modo vero Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem Durini nuncupatum, elegit, et deputavit, et alias prout in eisdem literis, quarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Tenor secundæ constitutionis ipsius pontificis Clementis XIII.

§. 2. Deinde vero idem Clemens prædecessor per alias pariter suas in eadem forma Brevis die secunda maii ejusdem anni MDCCLXXIV. expeditas literas ipsi Angelo Mariæ archiepiscopo, et modo cardinali, tunc vero præsidi, ut præfertur, electo, commisit, et mandavit, ut statim ac ad demandatum sui muneris exercitium se illuc contulisset, totum id, quod ad tunc præ-

sentem actualem gubernii ejusmodi statum quomodolibet spectaret, rescire, ac dignoscere omnino curaret, nilque novi statueret, sed quod ad felix, et tranquillum locorum, et populorum hujusmodi gubernium conferre in Domino arbitrasset, sibimetipsi retulisset, ut inde quid decernendum foret, matura deliberatione adhibita præscriberetur. Interim tamen jussit, ut in omnibus rebus gubernium hujusmodi respicientibus, quæ communes essent, ac ordinariæ literas suas super his dirigeret, earumque commercium haberet, regulares vias sectando, et amplectendo. Quod vero pertinebat ad lites, et causas judiciales, postquam inferiores judices suas edidissent sententias, earum cognitio ad ipsum Angelum Mariam uti præsidem juxta facultates ad ejusmodi præsides spectantes, esset deferenda, firma tamen manente libertate, et arbitrio prout de jure, et juxta dispositionem apostolicarum constitutionum, atque juxta statum, et qualitatem causarum, interponendi appellationes ad ipsum Clementem prædecessorem, atque ad tribunalia almæ urbis. Rursus voluit, atque decrevit ipse Clemens prædecessor, ut in iis, quæ pertinebant ad gubernium eorumdem locorum, et populorum, facultates in præcedentibus suis literis prædictis eidem Angelo Mariæ tamquam præsidi ab ipso electo, et deputato concessas, et attributas, iisdem modo, et forma exercere, atque adhibere deberet, quibus præsides legationis Urbinatensis utebantur, et potiebantur; ad hæc ut demandatum munus juxta dignoris tituli exigentiam ipse obire valeret, præter, ac ultra provisionem, ac emolumenta solita, et consueta in præcedentibus suis literis eidem Angelo Maria jampridem assignata, annuam quoque summam scutorum mille monetæ ex redditibus locorum hujusmodi donec, et quousque aliter provisum fuisset, concessit, et assignavit, ac alias prout in secundodictis literis, quarum itidem tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, fusius continetur.

Restitutio privilegiorum, et prærogativarum vice-legati.

§. 3. Cum autem nuper Nos eumdem Angelum Mariam archiepiscopum, et præsidem ab eodem Clemente prædecessore, ut præfertur, deputatum, ita suis exigentibus meritis, amplissimo cardinalium ordini adscripserimus, restitutisque a Nobis in civitate Avenionensi, et comitatu Venayssino pontificiis tribunalibus, curiis, et judiciis, cum iisdem ferme nominibus, facultatibus, et prærogativis, prout antea eo tempore, quo vice-legati a prædecessoribus Nostris deputati illic existebant, dudum obtinuerant, admodum congruum, quinimo apprime necessarium dignoscatur, omnia ad legationem hujusmodi pertinentia, atque ex dispositione in memoratis literis ipsius Clementis prædecessoris innovata, atque immutata, ad pristinum, et antiquum statum restituere, ac reintegrare, hinc est, quod Nos motu proprio, atque ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, memoratas literas ipsius Clementis fidentiæ ejusmodi quidquam vigore prædictarum literarum in posterum mutatum, ac innovatum censeatur, sed omnia in pristinum, ac præcedentem statum, in quo dum vice-legati illuc existebant, in omnibus, et per omnia reperiebantur, perpetuo in posterum habenda, et judicanda esse motu, et potestatis plenitudine similibus volumus, statuimus, atque mandamus.

Clausulæ salutares, et irritantes.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas, et in eis contenta quæcumque etiam ex eo quod omnes in præmissis quomodolibet jus, vel interesse habentes, seu habere prætendentes eisdem præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, seu uditi fuerunt, aut ex alia quacumque juridica, privilegiata, et rationabili causa, colore, atque prætextu ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam substantiali defectu notari, impugnari, infringi, in controversiam revocari nullatenus posse, sed easdem præsentes literas, et in eis contenta quæcumque semper, et perpetuo firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sedis apostolicæ nuntios, et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, Nostra, et cancellariæ apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris, die tertia augusti millesimo septingentesimo septuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 5 augusti 1776. Anno II.

CIV.

Confirmatio conventionum initarum inter nuncium apostolicum Parisiis commorantem, et regium administrum super collatione canonicatuum quatuor collegiatarum in Belgio existentium.

Pius episcopus

servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Ubi primum Nos nihil quidem tale merentes, sed omnipotentis Dei miseratione gubernandam suscepimus Romanam Ecclesiam, quæ ad complexum omnium ecclesiarum instar centri divinitus constituta est, id maxime Nobis curandum esse intelleximus, ut sublatis, si quæ essent, causis dissidiorum, remitteremus etiam aliquid, quod Nostrum esset, ad reducendum in omnibus, et per omnia, quoad fieri posset, unitatem spiritus in conjunctione pacis, et charitatis.

Status subortæ quæstionis super collatione canonicatuum.

§. 2. Hæc cognitio cum alte defixa in Nobis versaretur, mentis Nostræ oculos convertimus ad quatuor collegiatas ecclesias, quæ in Belgio existunt, nimirum de Lille, de Cassel, de Seclin, et de Dovaj ubi accepimus jamdiu exortam esse controversiam de collatione canonicatuum, quam contra jus apostolicæ Sedis, atque antiquissimam consuetudinem ab anno Domini millesimo septingentesimo sexagesimo secundo sibi ita arrogaverant præpositi earumdem ecclesiarum, ut omnino excluderent illos, quibus canonicatus earumdem ecclesiarum in mensibus reservatis vacantes apostolica Sedes legitime contulisset. Reclamarunt quidem huic novæ agendi rationi, qui apostolicis literis muniti erant, sed frustra, cum repentini illi canonicatuum quasi ordinarii collatores, neglecto jure pontificis, iis, quos ipsi nominaverant, canonicatuum possessionem concederent et provisis ab apostolica Sede omnino denegarent, cui quidem malo amovendo occurrere aliquo modo visa est meritis digna laudibus justitia, et pietas christianissimi regis Ludovici XV, qui sua auctoritate prohibuit, ne redditus canonicatuum, de quibus agitur, in eorum utilitatem integre deinceps cederent, quos præpositi nominaverant, sed tuto in loco deponerentur quoad res componeretur; ad eam igitur compositionem cum animum Nostrum studio pacis, ac charitatis flagrantem adjecissemus, venerabili fratri archiepiscopo Seleuciæ Josepho ab Auria Nostro, et apostolicæ Sedis nuntio Parisiis commoranti in mandatis dedimus, ut ea de re diligenter ageret cum dilecto filio Karolo Gravier comite de Vergennes commendatario ordinum regis, ejusque administro, et a secretis status, tractandisque exteris negotiis.

Inita est concordia super quæstionibus hujusmodi inter apostolicum nuncium, et regium administrum.

§. 3. Præposito die itaque vigesima prima mensis maii proxime elapsi unanimi eorum opera ea pacta conventa, quæ infrascriptis octo articulis continentur, constituta sunt, quæque Nobis ita probantur, ut gaudeamus datam occasionem declarandi erga christianissimum regem Ludovicum XVI. illam paternæ charitatis vim, quæ et ipsius erga Nos filiali amori, et maximis tum suis, tum majorum suorum clarissimorum erga Romanam Ecclesiam promeritis debetur. Horum autem articulorum summa hæc est.

In pristinum revocatur jus Sedis apostolicæ providendi

§. 4. Articulus primus. Quod nimirum a die præsentis conventionis res in eumdem statum restituentur, quo erant

ad canonicatus in casu vacationis.

ante annum millesimum septingentesimum sexagesimum secundum, adeoque Sanctitas Sua canonicatus, de quibus agitur, providebit, prout infra conventum erit. Serenissimus vero rex christianissimus promittit, executionem provisionum apostolicarum præstaturum eodem modo, quo usque ad annum millesimum septingentesimum sexagesimum fieri consuevit.

Mandatur, ut qui canonicatum obtinuerunt absque nominatione pontificia eidem renuncient.

§. 5. Articulus secundus. Quod interim ii, qui ab apostolica Sede post annum millesimum septingentesimum sexagesimum secundum de canonicatibus dictarum quatuor collegiatarum ecclasiarum provisi literarum apostolicarum executionem minime obtinuere, suorum canonicatuum dimissionem pure, et simpliciter coram ipso Sanctitatis Suæ, et Sedis apostolicæ apud serenissimum regem nuncio faciant.

Ipsis vero renunciantibus providetur per novam nominationem a pontifice facienda

§. 6. Articulus tertius. Quum in præfatis ecclesiis collegiatis sex modo canonicatus vacantes reperiantur, de his Sanctitas Sua providebit totidem ex illis, a quibus facta fuerit, ut supra dimissio, juxta illorum antianitatem, ita tamen, ut eorum quilibet canonicatum in eodem capitulo obtineat, in quo antea provisus fuerat.

Idipsum statuitur pro tempore futuro.

§. 7. Articulus quartus. Idem servandum erit, cum deinceps quolibet anni mense alii canonicatus earum quatuor collegiatarum ecclesiarum vacaturi erunt. Illi enim iis, qui hujusmodi canonicatuum earumdem ecclesiarum dimissiones fecerint, erunt conferendi, donec dimittentes omnes adhuc superstites canonicatum dimisso parem fuerint adepti.

Omnibus mandatur, ut novam impetrent, a s. Sede provisionem.

§. 8. Articulus quintus. Rursus vero, qui post annum millesimum septingentesimum sexagesimum secundum ab earum ecclesiarum præpositis de canonicatibus in octo anni mensibus apostolicæ Sedi reservatis tunc vacantibus nominationem obtinuerunt, novam a summo pontifice eorumdem canonicatuum provisionem impetrare teneantur.

Obtentis novis provisionibus revocandæ erunt sequestrationes.

§. 9. Articulus sextus. Post obtentas vero novas canonicatus provisiones ad eorum supplicationem quæcumque fructuum sequestratio sublata erit, ut illi possessionem una cum integra fructuum perceptione definitive nanciscantur.

Jus nominandi in perpetuum conceditur regi, expeditis tamen literis a s. Sede, et reservato favore pontificis idem jus quoad vacationes de mensibus januarii, aprilis, julii, et octobris

§. 10. Articulus septimus. Sanctitas Sua concedit majestati suæ indultum perpetuum nominandi ad canonicatus dictarum quatuor ecclesiarum collegiatarum Flandriæ in quatuor anni mensibus, videlicet februario, majo, augusto, et novembri: ita tamen ut ab eodem serenissimo rege pro tempore nominati apostolicas literas dein recipere teneantur, quarum vigore in possessionem de more immittantur, non prius tamen indultum hujusmodi effectum sortiri poterit, nisi postquam singuli provisi apostolici alios canonicatus in locum dimissorum pacifice obtinuerint, firmo tamen remanente Sanctitati Suæ, ejusque successoribus jure nominandi, et providendi canonicatus dictarum collegiatarum in quatuor anni mensibus, nempe januario, aprili, julio, et octobri, iisdemque provisionibus apostolicis plena executio debebitur, prout priore articulo conventum est.

Lex de ratificanda concordia.

§. 11. Articulus octavus. Ac demum initum fuit pactum, ut summi pontificis beneplacitum, quemadmodum assentio regia infra sex hebdomadas a die initæ conventionis accedere debeant.

Conventio confirmatur tam a rege, quam a pontifice.

§. 12. Cum autem conventiones hujusmodi eidem Ludovico regi suo diplomate ratæ, probatæque fuerint, Nos modo perpendentes quantum earumdem collegiatarum ecclesiarum tranquillitati profutura in posterum sit illarum conventionum exequutio ex certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine præscriptas conventiones in articulis præmissis contentas tenore præsentium approbamus, et ratas hebemus, atque illis omnibus, et singulis apostolicæ auctoritatis robur, et vim adiicimus, omniaque in iis contenta sincere, et inviolabiliter ex Nostra, ejusdemque Sedis parte impletum, et servatum iri tam Nostro, quam successorum Nostrorum nomine promittimus, et spondemus.

Pontifex in gratiam regis eidem renunciat jus nominandi sibi, et successoribus ejus reservatum in ipsa concordia.

§. 13. Ut autem ipsi Ludovico regi christianissimo, quoquomodo possumus, Nostram gratificandi propensam voluntatem ostendamus, eidem, ac successoribus suis Galliarum regibus christianissimis jus Nobis, et pro tempore existenti Romano pontifici successoribus Nostris nominandi, et presentandi personas ecclesiasticas probatæ famæ, et nominis, ac secundum sacros canones, et concili Tridentini decreta idoneas ad earumdem quatuor collegiatarum ecclesiarum canonicatus, et præbendas, qui mensibus februarii, maii, augusti, et novembris ex personis illos obtinentibus vacaverint, ita ut ab eodem Ludovico rege, ejusque successoribus pro tempore nominati apostolicas literas super præsentatione hujusmodi reportare, et expedire teneantur, quarum vigore, et non alias in possessionem immitti queant.

Quod quidem initium suum minime sumet nisi postquam ii, qui ab apostolica Sede de hujusmodi canonicatus antea fuere provisi, illosque dimisere denuo alios canonicatus, ut supra conventum est, pacifice fuerint assecuti tenore præsentium specialiter, et expresse reservamus, concedimus, et impertimur.

Præcipitur perpetua conventionum observantia

§. 14. Decernentes conventiones præscriptas semper firmas, validas, et efficaces esse, et fore, ita quoque jus nominandi, et præsentandi ad canonicatus dictarum quatuor collegiatarum ecclesiarum in quatuor enunciatis mensibus, ut præfertur, vacaturos eidem Ludovico regi, ejusque successoribus competere debere, nec a præmissis conventionibus recedi, vel resiliri, neque eidem juri nominandi, et præsentandi derogari posse, aut sub quacumque generali, vel speciali derogatione comprehendi ipsas quoque literas subreptionis, vel obreptionis, aut cuivis alio defectui minime obnoxias esse, vel fore.

Clausula sublata, et decretum irritans

§. 15. Sicque, et non alias per quoscumque judices quavis auctoritate fungentes, sublata eis quavis aliter judicandi facultate, judicari, ac definiri debere, ac irritum, et inane, si secus supes his a quoquam quavis auctoritate contingerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 16. Non obstantibus quibusvis apostolicis, et in universalibus, provincialibusque conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, et cancellariæ apostolicæ regulis, nec non earumdem quatuor collegiatarum ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis eisdem collegiatis ecclesiis, earumque capitulis, et personis quomodolibet concessis; quibus omnibus et singulis eorum tenores pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§. 17. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostræ approbationis, ratificationis, promissionis, reservationis, concessionis, assignationis, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem nonis augusti anno incarnationis Dominicæ MDCCLXXVI. pontificatus Nostri anno secundo.

CV.

Dat. die 7 augusti 1776. Anno II.

Facultas applicandi fructus commendæ del Ventoso vulgo nuncupatæ militiæ sancti Jacobi de Spatha in reparatione conventuum ejusdem militiæ.

Carissimo in Christo filio Nostro Karolo Hispaniarum regi catholico.

Pius PP. VI.

Carissime in Christo fili Noster salutem, et apostolicam benedictionem.

Status conventus exponitur et indigitatur necessitas reparationum.

§. 1. Majestatis tuæ, qui militiæ sancti Jacobi de Spatha administrator perpetuus auctoritate apostolica deputatus existis, nomine Nobis nuper expositum fuit, quod alias ut prompte restaurarentur ruinæ, quæ evenerant ex terremotu anni MDCCLV. in regnis Hispaniarum, claræ memoriæ Ferdinandus sextus, dum vixit earumdem Hispaniarum rex catholicus suo decreto ædito die xix. junii MDCCLVIII. præscripsit, ut expensæ restaurationum peragendarum in conventibus militiæ sancti Jacobi de Spatha hujusmodi civitatis Ispalensis, et sanctæ crucis Vallisoletanæ, atque ædificia, quæ necessaria erant in collegio regio nuncupato Salamantino pro tunc suppeditandæ essent a communi ærario ordinario ejusdem militiæ sancti Jacobi de Spatha, ea tamen conditione adjecta, ut illud reintegrandum esset, et pro reintegratione hujusmodi jussit, ut una præceptoria, seu commenda proponi deberet. Peractæ igitur fuerunt ejusmodi restaurationes in duobus conventibus prædictis, earumque expensæ constituentes summam centum octuaginta quinque millium, et centum septuaginta quinque regalium monetæ illarum partium a communi ærario dictæ militiæ suppeditatæ sunt. Cum itaque majestas tua, literis datis die xix. junii MDCCLXXI suo consilio mandaverit, ut pro reintegratione dicti communis ærarii proposita sibi esset una æquivalens præceptoria, seu commenda, præscripta regula, quoad tempus, quo tuta reddi posset prædicta reintegratio, habita tamen consideratione ædificiorum, quæ peragenda sunt in dicto collegio Salamantino ejusdem militiæ; quia vero usque adhuc minime evenit casus statuendi unam præceptoriam, seu commendam hujusmodi, tam pro explenda reintegratione prædicta, quam pro

executioni committendis ædificiis, ac comparandis sacris suppellectilibus, quibus indiget ecclesia prædicti collegii Salamantini; hinc ad præmissos effectus, præceptoriam, seu commendam Valentinam, vulgo del Ventoso nuncupatam ejusdem militiæ sancti Jacobi, quæ supervivendiæ titulo apostolica auctoritate concessa fuit, ac hæreditati ducissæ bo. mem. de Arcu ad annos quadraginta, qui die xxi augusti an. MDCCLXXVII, proxime futuri sunt effluxuri ad hoc, ut dicto superveniente tempore fructus, redditus, et proventus dictæ præceptoriæ, seu commendæ assignati, ac destinati sint pro reintegratione eorumdem regalium centum octuaginta quinque millium, ac centum septuaginta quinque, qui suppeditati fuerunt a communi ærario dictæ militiæ pro restaurationibus expletis in conventibus militiæ hujusmodi sancti Jacobi Hispalensis, et sanctæ Crucis Vallisoletanæ, et pro aliis ædificiis in posterum peragendis, ac suppellectilibus, et paramentis comparandis pro ecclesia collegii sancti Jacobi Salamantini applicare intendis, si Nostra, et hujus sanctæ Sedis tibi super hoc licentia suffragetur, atque facultas. Quare Nobis ejusdem majestatis tuæ nomine fuit humiliter supplicatum, ut in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor licentiæ concessæ pro applicatione fructuum commendæ in reparationibus necessariis, et acquisitione paramentorum, et supellectilium.

§. 2. Nos igitur tuis votis, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, eidem majestati tuæ fructus, redditus, et proventus dictæ præceptoriæ, seu commendæ del Ventoso nuncupatæ ejusdem militiæ post diem xxi. augusti proximi futuri anni MDCCLXXVII. in reintegrationem prædictorum regalium centum octuaginta quinque millium, centum septuaginta quinque a memorato communi ærario suppeditatorum, atque simul in expensas in dictis ædificiis peragendas, et in suppellectilibus, seu paramentis pro collegio Salamantino prædicto comparandis ad totum tempus, ad præmissa omnia peragenda, et absolvenda necessarium applicare, et assignare libere, et licite possis, et valeas auctoritate apostolica concedendi, et indulgendi plenam, et amplam facultatem eadem auctoritate tenore præsentium tribuimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac ordinationibus, et constitutionibus apostolicis, nec non dictæ militiæ etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet, concessis approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus; cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima augusti, millesimo septingentesimo septuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno secundo.

CVI.

Dat. die 20 augusti 1776. Anno II.

Divisio provinciæ s. Angeli nuncupatæ in Apulia ordinis s. Francisci de observantia.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium

§. 1. Ad regularis disciplinæ observantiam in iis præsertim religiosorum virorum institutis, in quibus juxta primævam institutionem, Domino benedicente, viget, retinendam, conservandam, augendamque, quantum conferat, non modo minorum, majorumque superiorum præsentia, verum etiam provinciarum sapientissime excogitata divisio, diuturni temporis, rerumque experientia edocti, tam Romani pontifices prædecessores Nostri, quam ipsi regularium ordinum rectores insimul adlaborarunt, ut cum conventus, et monasteria eiusdem ordinis multiplicari, et crescere perspexissent, alia invicem unita ab illis una simul junctis separata, et si omnia, et singula sub uno generali capite posita, diversis tamen provinciarum rectoribus, habita ratione gubernarentur. Hinc salutaria subolescentibus malis statim adhibita remedia, sublata opportune dissidia, præcisæ sine jurgiis lites, animi arctissime conciliati,

restituta pristina tranquillitas, concalefacta charitas, adaucta observantia.

Expositio precum porrectarum super dissidiis ortis in provincia s. Angeli.

§. 2. Hæc profecto prudentissime animadvertens dilectus filius Paschalis a Varisio minister generalis ordinis minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum exponi Nobis nuper fecit, quod provincia sancti Angeli in Apulia hactenus nuncupata ejusdem ordinis in regno Neapolitano duabus distinctis nationibus coalescit, quarum una Apuliensium, Montanorum altera vocari solet, earumque religiosi licet sint unius, ejusdemque provinciæ, non sunt tamen ejusdem indolis, ingenii, institutionis, ac sententiarum, quo fit, ut interdum non bene conveniant in electionibus faciendis fratres suffragantes, seu vocales, et inde difficultates plurimæ obortæ, jurgia, dissidia, lites, quæ in præsentiarum eo devenire, ut in mutua odia, et livores eruperint, non sine publicæ tranquillitatis incommodo, et Christifidelium scandalo non in modico, eo vel magis, quod omnia hactenus a superioribus potestatibus remedia ad componendos animos, discordiarumque faces extinguendas excogitata, et apposita nullum sortita fuerint effectum. Insuper, quod eadem provincia sancti Angeli in Apulia ex duabus nationibus, ut præfertur, coalescens plures, quam par sit, complectatur conventus longe invicem inter se dissitos, et asperioris accessus, unde incommoda multa, ac detrimenta quam plurima obveniunt ministris provincialibus pro tempore, ac commissariis visitatoribus ob locorum distantiam occurrere impotentibus, maximo certe regularis observantiæ damno, malorum vero commodo, ac adjumento. Ea propter dictus exponens Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Divisio provinciæ, et respectiva novarum erectio.

§. 3. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, motu etiam proprio, atque ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, memoratam provinciam sancti Angeli in Apulia hactenus nuncupatam ordinis minorum sancti Francisci de observantia hujusmodi, quæ ex triginta et octo conventibus ad præsens componitur, in duas provincias dividimus, partimur, et in perpetuum separamus[1], quarum primam Apuliensium, seu inferioris Apuliæ, retento priori titulo, seu invocatione sancti Angeli in Apulia, alteram vero Montanorum, seu superiorsi Apuliæ Contado di Molise vulgo nuncupatam sub invocatione sancti Ferdinandi in posterum appellandam præcipimus, et respective erigimus, atque constituimus.

Leges servandæ ut utraque provincia

§. 4. Utrique autem provinciæ, ita per Nos divisæ, separatæ, et erectæ eadem loca, eosdemque conventus concedimus, destinamus, et assignamus, eodem numero, ac legibus, qui olim, præsertim vero anno MDCCXXXIII. et MDCCXXXV. a tunc temporis commissario generali ordinis, consentientibus, et convenientibus partibus, concessi, destinati, et assignati fuerunt utrique respective nationi Apuliensi, seu sancti Angeli in Apulia, et Montanæ, seu vulgo Contado di Molise ad servandam justitiam distributivam, et alternativam in collatione dignitatum, et officiorum provinciæ.

De privilegiis utriusque provinciæ

§. 5. Volumus autem utramque provinciam, ita divisam, separatam, et erectam gaudere omnibus, et singulis privilegiis, prærogativis, honoribus, quibus aliæ provinciæ ejusdem ordinis de jure, vel consuetudine guadere solent, et eodem prorsus modo absque ulla differentia, et sub eisdem legibus, et constitutionibus, ita ut provincia Apuliensis a provincia Montanorum, seu vulgo del Contado di Molise, ejusque superioribus omnino independens, et exempta intelligatur, ac gubernari per suum ministrum provincialem, et custodem, et quatuor definitores, uti cæteræ ejusdem ordinis provinciæ independentes habent habere debeat; atque ita de provincia nunc divisa Montanorum, seu vulgo del Contado di Molise Apuliensi, seu sancti Angeli in Apulia.

Singulis fratribus relinquitur jus eligendi provinciam in qua recipi debeant.

§. 6. Præterea omnibus, et singulis fratribus ejusdem ordinis antiquæ totius indivisæ provinciæ sancti Angeli in Apulia, qui de præsenti, sive in provincia Apuliæ, seu sancti Angeli in Apulia, sive in provincia Montana, seu vulgo Contado di Molise, sic divisis, separatis, erectis, et constitutis, undecumque nativi reperiantur intra mensem integrum ab executione dictæ divisionis, et erectionis provinciarum hujusmodi computandum libere eligendi sibi unam,

vel alteram, ex divisis provinciis, eidemque provinciæ, cui libuerint, se se aggregandi, in eaque perpetuo permanendi facultatem concedimus, et impertimur, accedente consensu respectivorum divisarum provinciarum superiorum, sine quo, in ea remaneant provincia, cujus sunt nativi.

De ordine servando in capitulo provinciali.

§. 7. Cum vero facta provinciæ divisione, celebrandum sit in singulis provinciis divisis provinciale capitulum, cumque fortasse deficiant in utraque provincia divisa legitimi vocales, qui jure, et canonice suffragia ferant pro singulis conventibus, quibus utraque divisa provincia in facta divisione composita fuerit, hinc, ut electiones novorum ministrorum provincialium, custodum, et definitorum utriusque divisæ provinciæ valide fiant, neque ullo laborent nullitatis vitio, habilitamus pro hac vice primo ad suffragandum in capitulo superiores illos vocales, si qui sint, qui legitime in ultima capitulari, aut intermedia congregatione totius tunc indivisæ provinciæ electi in guardianos alicujus conventus ultra triennium, et semestre in officio absque interruptione ad hanc usque diem perduraruut; secundo vero volumus, ac præcipimus, ut in iis conventibus, in quibus non adsunt hujusmodi guardiani novi eligantur, qui ad capitulum sic electi accedant, et suffragia ferant; electio autem eorum fiat in provincia inferioris Apuliæ seu sancti Angeli a vicario provinciali, definitoribus actualibus ejusdem divisæ provinciæ inferioris Apuliæ, seu sancti Angeli, et a patribus dignioribus ejusdem provinciæ, quibus juxta ordinis statuta competit jus subrogationis, quique numerum compleant soliti definitorii provinciarum; in provincia vero Apuliæ superioris, seu vulgo Contado di Molise, a custode, et definitoribus actualibus ejusdem provinciæ divisæ, et a patribus pariter dignioribus, qui jus habeant subrogationis, quique numerum compleant soliti definitorii; præsidentibus ex utraque parte, seu provincia, et suffragium ferentibus respectivis commissariis visitatoribus pro sua quisque provincia.

Clausulæ solitares.

§. 8. Decernentes ipsas præsentes literas, et in eis contenta quæcumque semper firma, valida, et efficacia existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, atque ab eis respective inviolabiliter observari.

Decretum irritans.

§. 9. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 10. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et provinciæ sancti Angeli hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et formis, ac cum quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die 20. augusti millesimo septingentesimo septuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 26. augusti 1776 Anno II.

CVII.

Facultas uniendi duas societates, ac transferendi beneficia alias in castro Serviliani nunc diruto fundata ad novum castrum hujusmodi constructum.

Dilecto filio Nostro Urbano Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbytero cardinali Paracciani nuncupato metropolitanæ ecclesiæ Firmanæ ex concessione, et dispensatione apostolica præsuli.

Pius PP. VI.

Dilecte fili noster salutem, et apostolicam benedictionem

Recolitur summa precum porrectarum.

§. 1. Nuper Nobis exposuisti, quod cum propter ruinam antiqui castri Serviliani istius diœcesis Firmanæ, a congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium bono regimini communitatum, et universitatum civitatum, terrarum, et locorum status Nostri ecclesiastici præpositorum demandata tibi fuerit novi castri ædificatio, ad illius populi commoditatem, in alio tamen loco vulgo la Madonna del Piano nuncupato, assumptum opus illuc modo perventum reperiatur, ut spes sit, illud absolvendi intra annum proxime futurum, quoties gravis admodum non dignosceretur expensa, quæ omnino requiritur, tam in prosecutione, quam in absolutione fabricæ novæ parochialis ecclesiæ, quæ ex iis in demandato munere ad id assignatis perfecta reddi minime potest. Quoniam vero animadvertere non omisisti, antiquam parochialem ecclesiam ejusdem diruti castri de jurepatronatus existere confraternitatis sub invocatione, seu titulo ssmi Sacramenti, quæ simul cum propriis omnia bona possidet ad eamdem ecclesiam pertinentia annui redditus scutorum tercentum triginta circiter, cum onere conservandi fabricam prædictæ ecclesiæ, ejusque sacra supellectilia, atque suppeditandi annua scuta quadraginta illius parocho, satisfactisque aliis obligationibus, quod reliquum est eadem confraternitas ex reddidu hujusmodi in celebrationem missarum, atque vesperarum, et officiorum cum cantu juxta officialium arbitrium, ac presbyterorum commoditatem convertere, et erogare assuevit; præterea compertum tibi fuit, in diruto castro hujusmodi duas alias adesse confraternitates sub titulo, seu invocatione, unam nempe sanctissimi Rosarii annuum obtinentem redditum scutorum triginta, et alteram sanctæ Monicæ annui redditus scutorum quindecim circiter, atque insuper in antiqua ecclesia parochiali duodecim beneficia ecclesiastica erecta, ac fundata reperiri, quorum redditus, simul sumpti, deductis omnibus oneribus, annuam summam scutorum tercentum quadraginta, et obulorum nonaginta quinque attingunt; quemadmodum pariter in alia ecclesia prædicti castri diruti sub titulo, seu invocatione Suffragii relictum reperiri unum legatum missarum a quondam Dominico Antonelli constitutum.

Explicatur opportunitas unionis peragendæ, et indigitantur modi convenientes, in ipsa unione servandi.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ad celerem dictæ novæ parochialis absolutionem apprime opportuna dignoscatur unio duarum confraternitatum sanctissimi Rosarii, et sanctæ Monicæ alteri confraternitati sanctissimi Sacramenti hujusmodi, quæ teneatur suppeditare pro tempore existenti parocho annua scuta septuaginta, quæ simul juncta cum aliis scutis triginta ex redditibus duorum beneficiorum eidem parochiæ unitorum congruam scutorum centum constituerent; ita ut parochus hoc modo provisum onus manutentionis novæ ecclesiæ subire valeat, deductaque dicta quantitate, satisfactisque oneribus præfatæ confraternitati injunctis, super annuis scutis centum triginta, et octo, quæ adhuc remanent, facultatem cogendi eos, ad quos pertinet, ut censum imponant scutorum termille erogandorum in fabricam dictæ parochialis, atque cum reliqua summa prædicta solvendi annuos illius fructus, ac quotannis aliquam quantitatem pro extinctione capitalis; nec non itidem facultatem quoque obligandi possessores eorumdem duodecim beneficiorum ad construendas, ornandas, ac etiam conservandas cappellas, quæ unicuique beneficio in nova parochiali assignabuntur, ac transferendi ad dictam ecclesiam legatum missarum a dicto Dominico relictum in alia ecclesia Suffragii tibi per Nos concedi plurimum desideres.

Negocium omne arbitrio, et prudentiæ archiepiscopi Firmani committitur.

§. 3. Nos igitur, audita super præmissis relatione dilecti filii magistri Francisci Carrara congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium concilii Tridentini interpretum secretarii, ad prospiciendum animarum saluti, et consulendum decori domus Dei, atque ax aliis peculiaribus causis, Nostram mentem digne moventibus, circumspectioni tuæ omnes, et singulas facultates, ut devenire pos-

sis ad extinctivam unionem confraternitatum, seu societatum ssmi Rosarii, et alterius sanctæ Monicæ, favore confraternitatis, seu societatis ssmi Sacramenti cum omnibus bonis, juribus, et pertinentiis auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus; ita quidem, ut confratres prædictarum societatum unitarum censeantur admissi, et habeantur, ac si eidem societati sanctissimi Sacramenti essent adscripti, et opera pietatis, quæ, vel ex mera devotione; vel ex proprio instituto, peragebantur a prædictis duabus societatibus, sic extinctis penitus omittantur; sed e contra fratres dictarum societatum teneantur ea omnia pietatis, et devotionis opera implere, quæ peraguntur per confratres societatis ssmi Sacramenti sic unitæ.

Speciales declarationes.

§. 4. Volumus autem quod onera provenientia ex legatis piis, aut ex particularibus dispositionibus, quæ infixa sunt bonis possessis per prædictas duas sic extinctas societates, postquam ipsarum bona unita fuerint dictæ societati sanctissimi Sacramenti, ab ea diligenter, et fideliter adimpleri debeat; ac præterea mandamus, ut in posterum una tantum sit societas, et bona uniuscujusque ex ipsis per eamdem detineantur, et administrentur, ad quem effectum referantur, et describantur prædicta onera in codicibus societatis sanctissimi Sacramenti; ad hæc injungimus, ut ex redditibus prædictæ societatis sanctissimi Sacramenti sic unitæ tamquam patronæ ecclesiæ parochialis assignes pro tempore existenti parocho in causam congruæ, præter emolumenta stolæ annua scuta centum computatis tamen fructibus duorum beneficiorum per antecessores archiepiscopos parochiæ unitorum, addita lege, quod parochus perpetuus sit, nec amovibilis, eidemque correspective incumbat onus præstandi sacra utensilia, et subministrandi omnia necessaria pro sacrificiis, et pro peragendis sacris functionibus, et pro præstatione, ac manutentione paramentorum, et utensilium ecclesiæ; hoc quoque addito, ut prædictus parochus per decennium proximum præstare teneatur integrum stipendium duobus sacerdotibus, qui singulis diebus dominicis, et festis de præcepto, nec non tempore paschali in parochiali ecclesia prædicta pœnitentiæ sacramentum administrent; atque insuper præcipimus, ut societatis sanctissimi Sacramenti præserventur tot redditus, quot necessarii sunt pro adimplendis oneribus, non solum prædictarum societatum eidem unitarum, sed etiam pro omnibus aliis, ad quæ, vel ex piorum testatorum dispositionibus, et præsertim cappellaniæ Mancini nuncupatæ, quæ omnino integre, et sine ulla diminutione adimpleri mandamus, aut ex proprio instituto societas sanctissimi Sacramenti tenetur secundum eam quantitatem, quam necessariam, et congruam, ac decentem præsertim pro associatione sanctissimi Viatici censueris; suspensa interim, ad decennium, præstatione scutorum triginta octo, quæ solvebantur sacerdotibus confessariis.

Leges circa collectionem, et divisionem fructuum bonorum.

§. 5. His autem sic constitutis, et detractis oneribus, volumus, ut procedas ad liquidationem residualium redditium omnium supradictæ societatis sanctissimi Sacramenti sic unitæ, et ad unam tantum redactæ, comprehensis etiam fructibus bonorum provenientibus ex præventiva unione prædictarum duarum societatum, qui sane redditus in duas portiones dividantur, quarum una assignetur solutioni fructuum census, seu censuum imponendi, seu imponendorum, in quorum creatione, cures apponi pactum, quod in ratis extingui possint, qui census imponendi erunt pro summa necessaria tantum pro prosecutione, et complemento fabricæ ecclesiæ, et cum hoc, quod in prædictam causam pecunia erogari tantummodo debeat, atque ad hunc peculiarem effectum tibi per præsentes concedimus, et impertimur omnes, et singulas facultates pro impositione prædictorum censuum, atque obligatione bonorum prædictæ societatis, dummodo tamen census, seu censuum sortes sint infra eam quantitatem, pro quorum inter usuris solvendis satis sit pars fructuum ad hunc effectum reservata, et designata. Altera autem pars supradictorum reddituum, quam in annnis scutis septuaginta omnino præservatam volumus, eroganda erit, pro rata nempe scutorum decem in manutentionem, et meliorationem bonorum ipsius societatis, reliqua vero scuta sexaginta singulis annis deponenda sint penes ædem sacram pro extinctione ratarum census, vel censuum, pro quorum præcisa executione officiales dictæ societatis, etiam cum interventu ipsius parochi, singulis annis rationem reddere, et de adimplemento eorum te docere teneantur. Post lapsum tamen decennii, et extincta parte census, vel censuum, eadem societas sanctissimi Sacramenti sic unita, arbitrio tuo, aliquam summam in lavamen, et diminu-

tionem stipendii confessariis præstandi a parocho contribuere teneatur, quod successivo temporis decursu pro rata servari debebit quousque parochus a prædicto onere in totum liberetur. Nec non tibi auctoritate, et tenore prædictis tribuimus, et elargimur facultates pariter necessarias, et opportunas omnia beneficia, quæ erecta, et fundata reperiebantur in veteri ecclesia parochiali, seu ad illam ab aliis ecclesiis dirutis præcedenter translata ad novam ecclesiam parochialem transferendi, assignando prædictis beneficiis respectiva altaria, in quibus apponantur tabulæ pictæ, et icones præseferentes immagines sanctorum, sub quorum titulo, et invocatione fuerunt erecta, et fundata, cum hoc etiam, quod in prædictis altaribus, quibus beneficia addicientur celebrari, et satisfieri in posterum debeant missæ, et alia quæcumque onera, ad quæ vigore respectivarum fundationum rectores beneficiorum tenentur, quos quidem rectores beneficiorum hujusmodi pro rata fructuum, quos detractis oneribus ex respectivis beneficiis percipiunt, compellas indistincte ad sumptus pro dictis altaribus conficiendis secundum taxam a te præscribendam; et successivis temporibus iidem rectores beneficiorum teneantur ad manutentionem respectivorum altarium, suppellectilium, et ornamentorum eorumdem, quibus respective beneficia a te adscribentur, nec non teneantur contribuere sacrario debitam summam pro sacris utensilibus secundum regionis morem a te pariter statuendam.

Facultas transferendi legatum missarum, et onus conficiendi inventarium.

§. 6. Facultatemque insuper tibi quoque concedimus, et indulgemus transferendi ad novam ecclesiam parochialem legatum missarum relictum a dicto Dominico; quibus peractis, devenias ad novam confectionem inventarii, in quo omnia capitalia ad predictam societatem, et ad beneficia translata pertinentia, et respective onera describantur ad formam postremi concilii Lateranensis celebrati tempore felicis recordationis Benedicti pp. XIII. prædecessoris Nostri cap. XII., et pro præciso omnium præmissorum onerum adimplemento ea referantur jam in novos libros societatis sanctissimi Sacramenti sic unitæ, quam in libros ecclesiæ parochialis, nec non in tabellas ex integro conficiendas ad formam decretorum generalium recolendæ memoriæ Urbani papæ VIII., et Innocentii pp. XII. prædecessorum Nostrorum.

Archiepiscopus deputatur visitator apostolicus.

§. 7. Pro quorum omnium executione, juxta tamen modum, formam, et conditiones in præsentibus Nostris literis appositas, et contentas, te in visitatorem apostolicum auctoritate, et tenore prædictis constituimus, et deputamus; salva semper in præmissis auctoritate memoratæ congregationis eorumdem cardinalium.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 8. Decernentes ipsas præsentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus quorumcumque testatorum etiam ultimis voluntatibus, quas ad præmissorum effectum sufficienter, et expresse commutamus; nec non in apostolicis, ac universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, atque confraternitatum prædictarum, ecclesiarum, et beneficiorum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sancam Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die vicesima sexta augusti millesimo septingentesimo septuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno secundo.

CVIII.

Dat. die 28. augusti 1776. Anno II.

Confirmantur statuta, et ordinationes pro regimine provinciarum Franciæ ordinis minorum sancti Francisci Cappuccinorum condita.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Pastoris æterni vices, licet immeriti, gerentes in terris, ea quæ pro felici religiosorum virorum Altissimi obsequiis mancipatorum regimine provide, salubriterque constituta esse noscuntur, ut firma semper, atque illibata persistant, apostolici muniminis, cum id a Nobis petitur, præsidio roboramus.

Expositio precum porrectarum.

§. 2. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum fratrum ordinis minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum provinciarum Franciæ Nobis expositum fuit, quod ipsi in comitiis nationalibus indictis die vii. maii MDCCLXXI. nonnullas ordinationes, seu statuta ad clariorem intelligentiam, ac magis uniformem observantiam constitutionum dicti ordinis apostolica auctoritate approbatarum pro eisdem provinciis ediderunt. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, quo firmius ordinationes, seu statuta hujusmodi pro dictis provinciis condita in eisdem comitiis nationalibus subsistant, et serventur exactius, ea per Nos confirmari, et approbari dicti exponentes plurimum desiderent.

Tenor confirmationis.

§. 3. Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, audita super præmissis relatione dilecti filii Nostri Francisci Xaverii sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis de Zelada nuncupati, cui ordinationum, seu statutorum hujusmodi examen felicis recordationis Clemens pp. XIV. prædecessor Noster demandaverat easdem ordinationes, seu statuta prædicta edita pro provinciis Franciæ ordinis minorum sancti Francisci Cappuccinorum, firmis in reliquis manentibus constitutionibus ordinis hujusmodi, auctoritate apostolica, tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque perpetuæ, et inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas præsentes literas firmas, validas, ac efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, atque ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac ordinis, et provinciarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima octava augusti millesimo, septingentesimo, septuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 16 septembris 1776. Anno II.

CIX.

Indultum, ut post mediam noctem vigiliæ festivitatis conceptionis B. M. V. missa celebrari, et decantari possit in ecclesia conventus ordinis minorum sancti Francisci de observantia villæ de Mula Carthaginensis diœcesis.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum fratrum ordinis minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum villæ de Mula Carthaginensis diœcesis, nec non habitantium ejusdem villæ expositum Nobis fuit, quod maximus quidem est devotionis affectus, simulque magna populi frequentia, qua colitur dies festus conceptionis Beatæ Mariæ Virginis immaculatæ in ecclesia dicti conventus. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, pro spirituali totius populi villæ prædictæ consolatione in nocte vigiliæ dictæ festivitatis missam decantare posse, prout alias parochiali ecclesiæ sancti Ægidii villæ de Molina Seguntinæ diœcesis apostolica auctoritate pro nocte hujusmodi concessum fuit, sibi ipsis quoque per Nos concedi plurimum desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor indulti.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, eisdem exponentibus, ut in nocte vigiliæ festivitatis prædictæ, atque in ecclesia conventus hujusmodi post mediam noctem unam missam celebrare, et decantare libere, ac licite possint, et valeant facultatem auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima sexta septembris millesimo septingentesimo septuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 2 octobris 1776. Anno II.

CX.

Extensio gratiarum concessarum collegio Salviati de urbe.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

Clemens VIII. jussit alumnos divites factos adigendos esse ad reintegrandum collegium de alimentis receptis; eisque absque hæredibus decedentibus succedere idem collegium imperavit.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni primicerius, ac deputati archiconfraternitatis sub titulo, seu invocatione sanctæ Mariæ Visitationis Nostræ almæ urbis, quod cum anno MDCCLXIII. nomine collegii Salviati in urbe prædicta erecti supplices porrectæ fuissent preces felicis recordationis Clementi pp. XII. pro confirmatione decreti æditi a deputatis ejusdem collegii in congregatione habita die XIV. maii dicti anni MDCCLXIII. respicientis declarationem juris tam succedendi in bonis alumnorum favore præfati collegii, quam petendi reintegrationem pro alimentis suppeditatis eisdem alumnis in casu, quo, ipsi divites, et facultatibus aucti evasissent; quod quidem decretum erat sequentis tenoris, videlicet.

Tenor decreti.

§. 2. = *Si contingat futuris temporibus dictos alumnos, postquam e dicto collegio exierint, opibus, et facultatibus auctos ad pinguiorem fortunam devenire, teneantur dicti alumni eorum vita naturali durante, ac obligati sint solvere ipsi collegio alimenta percepta per totum tempus, quo in eo permanserint, juxta taxam, stylum, et consuetudinem, in scutis octuaginta monetæ pro singulis annis; et si ab hac luce ab intestato, absque hæredibus, et consanguineis usque ad tertium gradum inclusive decedere, eo casu idem collegium in eorum bona, et hæreditatem succedere debeat, et hæres institutus intelligatur.* =

Confirmatio, et declaratio ejusdem decreti.

§. 3. Idem Clemens prædecessor supplicationibus tunc, ut præfertur, sibi porrectis inclinatus, per suas in simili forma Brevis die XXVII. junii prædicti anni MDCCLXIII. expeditas literas supradictum decretum, ac omnia, et sin-

gula in eo contenta, et expressa confirmavit, atque de novo statuit, et præcepit, ac alias prout in suis literis prædictis, quarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur. Exorta postmodum aliqua dubietate, utrum in prædictis literis ipsius Clementis prædecessoris comprehensus quoque dijudicandus esset casus restitutionis alimentorum peragendæ ab illis alumnis, qui durante quoque eorum mora in collegio prædicto opibus, et facultatibus aucti ad meliorem fortunam pervenissent, denuo ejusdem collegii nomine novæ porrectæ fuerunt preces rec. mem. Clementi XIV. prædecessori itidem Nostro, quibus postulabatur declaratio, seu ampliatio præcedentium literarum Clementis XIII. cum generali expressione, quod bona eorum omnium, qui in collegio prædicto educationis titulo detenti fuissent quocumque tempore ab eis acquisita reperirentur, semper subjecta reintegrationi prædictorum alimentorum intelligenda essent. Ipse autem Clemens XIV. prædecessor hujusmodi novas supplicationes sibi tunc porrectas suo rescripto ædito die xxviii. maii MDCCLXXIII. remisit arbitrio, prudentiæ, et conscientiæ domini cardinalis protectoris cum facultatibus omnibus ad effectum, de quo in precibus, necessariis, et opportunis, contrariis quibuscumque non obstantibus. Vigore itaque facultatum sibi, ut præfertur, tributarum, dilectus filius Noster Petrus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis Pamphilius nuncupatus dicti collegii apud Nos, et Sedem apostolicam protector, die octava julii MDCCLXXIII. suum desuper tulit decretum precibus porrectis, et petitioni conforme, cujus pariter tenor præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, fusius continetur.

Preces porrectæ pro extensione, et ampliatione decreti ad piam domum orphanorum.

§. 4. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat prædictæ concessiones ab eisdem prædecessoribus Nostris collegio Salviati hujusmodi pro pauperibus alumnis solum erecto, et instituto utiles, et rationi congruæ compertæ fuerint; fundatio vero pro alumnis piæ domus orphanorum simillima omnimode sit erectioni collegii prædicti, hinc ipsi exponentes gratias, et concessiones pro eodem collegio, tum quoad successionem in bonis illius alumnorum, quam quoad jus reintegrationis debitæ pro alimentis eisdem alumnis suppeditatis ad piam quoque domum orphanorum per Nos extendi, et ampliari plurimum desiderant; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benegnitate apostolica dignaremur.

Extensionis, et ampliationis tenor.

§. 5. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, tam præinsertum decretum editum in congregatione deputatorum dicti collegii habita die xiv. maii MDCCLXXIII., quam memorati Clementis XIII. prædecessoris literas die xxvii. junii ejusdem anni expeditas, et hujusmodi decretum confirmantes, et approbantes, nec non etiam aliud decretum latum a præfato Petro cardinali, et protectore die viii. julii MDCCLXXIII. vigore rescripti ab eodem Clemente XIV. prædecessore peracti cum omnibus, et singulis in eis contentis, et expressis, ac tribuentibus collegio Salviati prædicto successionem in bonis illius alumnorum, ac jus reintegrationis pro alimentis eis præstitis ad piam quoque domum orphanorum auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium extendimus, et ampliamus; ac præterea illud idem jus, quod collegio Salviati prædicto non solum pro successione in bonis illius alumnorum, sed etiam pro reintegratione alimentorum præstitorum juxta decreta præmissa, et ipsius Clementis XIII. literas competit, pertinet, et spectat ad piam quoque domum prædictam pro successione in bonis orphanorum, quæ in ea educati sint, et pro reintegratione alimentorum ipsis orphanis præstitorum in omnibus, et per omnia juxta literas, et decreta præmissa, spectare, et pertinere, illaque libere, et licite ab eadem pia domo exercere posse auctoritate, et tenore prædictis decernimus, et declaramus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes ipsas præsentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac dictæ domui orphanorum in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum,

et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda octobris millesimo septingentesimo septuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 8. novembris 1776. Anno II.

CXI.

Deputatio R.P.D. Pelagallo in commissarium apostolicum ad effectum se conferendi ad confinia status ecclesiastici, et magni ducatus Etruriæ, eaque suo ordini restituendi.

Dilecto filio magistro Karolo Andreæ Pelagallo in utraque signatura Nostro referendario.

Pius PP. VI.

Dilecte fili salutem, et apostolicam benedictionem.

Tenor deputationis, cum suis declarationibus, et reservationibus.

§. 1. Singularis tuæ erga Nos, et apostolicam Sedem devotionis, affectus, nec non fides, prudentia, doctrina, aliaque virtutum merita, quibus te novimus insignitum, Nos inducunt, ut in gravibus ejusdem Sedis negociis tua opera libenter utamur, illaque tuæ fidei committamus. Te itaque in Nostrum, et apostolicæ Sedis commissarium, una cum dilectis quoque filiis Francisco Maria Gaudio clericorum regularium congregationis pauperum matris Dei scholarum piarum, et matheseos professore, ac Francisco Tiroli machinario *ingegnere* vulgo nuncupato ad effectum accedendi ad confinia status Nostri ecclesiastici, ac magni ducatus Etruriæ dilectissimo filio Nostro Petro Leopoldo archiduci Austriæ regio Bohemiæ principi, ac magno duci subjectæ in ea parte, quæ Vallisclaræ vulgo *Valdichiara* nuncupatur, ibique tractandi cum dilectis itidem filiis Hippolyto Scaramucci locumtenente fiscali, et ipsius Petri Leopoldi archiducis, et magni ducis prædicti commissario, dictoque Hippolyto deficiente, cum Joanne Gianni auditore, nec non etiam cum Petro Feronj matheseos professore, ac Josepho Salvetti machinario, ab eodem Petro Leopoldo archiduce, et magno duce deputatis, eorumdem confiniorum suo ordini restitutionem cum facultate, et auctoritate absolvendi, ac terminandi cum ipsis sic deputatis controversias, et constituendi ea, quæ minoris relevantiæ sint, et in quibus conformis sententia compariatur; cætera vero graviora ad Nos referas, ut quid Nostræ mentis, ac intentionis fuerit, exinde patefaciamus auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium constituimus, et deputamus.

Singulis præcipitur ut deputatum recipiant, eidem obediant, et opem ferant.

§. 2. Mandantes propterea dilectis filiis civitatum, et locorum status ecclesiastici prædicti gubernatoribus, potestatibus, nec non communitatibus, universitatibus, et hominibus, officialibus, et executoribus quibuscumque, quatenus tibi favorabiliter assistentes in præmissis pareant, ac operi auxilium, et obsequium præstent; teque tamquam Nostrum, et Sedis apostolicæ commissarium, recipiant, et recognoscant, non permittentes te quomodolibet molestari, vel impediri.

Derogatio contrariorum.

§. 3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die octava novembris millesimo septingentesimo septuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno secundo.

CXII.

Dat. die 9 novembris 1776. Anno II.

Facultas archiepiscopo Lucano supprimendi hospitalia minus utilia, eorumque bona applicandi in translatione cadaverum ad cœmeterium.

Venerabili fratri archiepiscopo Lucano

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Tenor precum porrectarum.

§. 1. Nuper pro parte tua expositum Nobis fuit, quod ad removendos noxios alitus ab ecclesiis ex sepultis cadaveribus procedentes, qua de causa Christifideles a frequenti earum visitatione alieni redduntur, et juxta antiquam Ecclesiæ praxim, ab anno usque MDCCLXXIV. publica auctoritate præscripta fuit constructio unius cœmeterii extra muros istius civitatis Lucanæ eleganti, simulque religioso modo peracta. Quoniam vero nunc defunctorum cadavera a civitate hujusmodi ad cœmeterium prædictum transferenda sint, plures familiæ pauperes, atque etiam hospitalia subire minime valeant expensas, quæ pro ministris, aliisque necessariis rebus in translatione, et eorum sepultura requiruntur. In civitate tamen prædicta, ejusque dominio extant sexaginta, et ultra parva hospitalia (minime comprehensis illis, quæ majora sunt) erecta, ac fundata pro excipiendis dumtaxat iis peregrinis, qui ad visitationem locorum sanctorum se conferunt. Verum quia peregrinationum hujusmodi modo usus maxima in parte defecit, ita ut necessitati huic pauca hospitalia satis superque sufficiant, ac præterea multa ex hospitalibus prædictis sita sunt in locis extra vias, quæ ad loca sancta perducant; ideoque solum inserviunt ad excipiendos vagos, perditos, ac non recte viventes homines; non sine gravibus incommodis, ac perturbationibus, hinc facultatem supprimendi aliqua ex dictis hospitalibus, quæ minus utilia, ac necessaria sunt, ac fructus, et redditus eorum usque ad summam scutorum bis centum monetæ Romanæ, quot necessaria putantur ad præmissum effectum convertendi, et erogandi tibi per Nos concedi plurimum desideras. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Indultum procedendi ad suppressionem dummodo vera sint, quæ in precibus narrata fuerant.

§. 2. Nos igitur audita super præmissis relatione dilecti filii magistri Francisci Carrara congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium concilii Tridentini interpretum secretarii, fraternitati tuæ per præsentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, ad suppressionem hospitalium prædictorum dumtaxat minus utilium peregrinantibus pro annuo redditu scutorum bis centum tantum, qui annui redditus per te, ac pro tempore existentes archiepiscopos Lucanos administrari debeant ad effectum illos erogandi in translatione ad cœmeterium publicum cadaverum vere pauperum, ac etiam morientium in hospitalibus dictæ civitatis tantum auctoritate apostolica tenore præsentium pro tuo arbitrio, et conscientia procedere, ac devenire possis, et valeas, concedimus, et indulgemus.

Onera hospitalibus supprimendis adnexa adimplenda esse statuitur.

§. 3. Volumus autem, quod onera adnexa prædictis hospitalibus supprimendis omnino adimpleantur, salva semper in præmissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Decernentes ipsas præsentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus quacumque fundatorum hospitalium hujusmodi etiam ultima voluntate, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus,

et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus; cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die nona novembris millesimo septingentesimo septuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 13 novembris 1776. Anno II

CXIII.

Suppressio abbatiæ claustralis monasterii Sulejoviensis Gnesnensis diœcesis ordinis Cisterciensis, et unio ejus bonorum mensæ conventuali monasterii prædicti.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Tenor precum porrectarum pro assequenda abbatiæ suppressione.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni prior, et monachi monasterii Sulejoviensis ordinis Cisterciensis Gnesnensis diœcesis, quod ipsi ob tenuitatem reddituum eorum mensæ conventualis, aliaque onera sibimetipsis incumbentia, quibus attentis proprium statum, et monasticam disciplinam sustinere minime possunt; qua de re suppressa, et extincta abbatia claustrali ejusdem monasterii, omnes ejus redditus, proventus, ac bona pro abbate claustrali assignata juxta divisionem factam ad normam concordati de anno MDCCXXXVII. initi ex nunc, pro tunc, nempe cum per cessum, vel decessum dilecti filii moderni abbatis claustralis præfatum monasterium Sulejoviense vacaverit, eidem mensæ conventuali per Nos uniri, et incorporari plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Abbatia supprimitur, ejusque bona incorporantur monasterio.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audita super præmissis relatione dilecti filii magistri Petri Nigroni congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium rebus consistorialibus præpositorum, ipsorum exponentium necessitati, ac utilitati consulere cupientes, omnibus mature perpensis, ac votis carissimi in Christo filii Nostri Stanislai Augusti Poloniæ regis illustris annuere volentes, prædictam abbatiam claustralem nunc, pro tunc, nempe cum casus vacationis ejusdem abbatiæ quocumque modo contigerit, auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium supprimimus, atque extinguimus, nec non omnia ejus bona, redditus, ac jura quæcumque præfatæ mensæ conventuali auctoritate, et tenore prædictis unimus, et incorporamus.

Præcipitur electio prioris triennalis, et adimplementum onerum mensæ claustrali adnexorum.

§. 3. Volumus autem ut monachi prædicti post cessum, vel decessum ipsius moderni abbatis claustralis, priorem triennalem professum ejusdem monasterii, servatis servandis, eligere debeant; atque insuper, ut mensa conventualis præfata, onera, quæ habet eadem abbatia claustralis exequi, et adimplere teneatur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, ac ab eis inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et

innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quinta novembris millesimo, septingentesimo, septuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 19. novemb. 1776. Anno II.

CXIV.

Confirmatio unionis confraternitatis B. M. V. de Angustiis erectæ in ecclesia fratrum minorum sancti Francisci civitatis Lisbonensis cum altera confraternitate Resurrectionis D. N. J. C. in eadem ecclesia erecta.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni officiales, et confratres confraternitatis sub titulo, seu invocatione beatæ Mariæ virginis de Angustiis vulgo nuncupatæ, et, ut asseritur, canonice erectæ in ecclesia conventus Regii pariter nuncupati ordinis fratrum minorum sancti Francisci civitatis Lisbonensis; quod cum dicta ecclesia alia quoque confraternitas sub titulo, seu invocatione Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi canonice, ut pariter asseritur, erecta reperiretur, unanimiter conventum, statutumque fuit, ut eorumdem exponentium primodicta confraternitas alteri confraternitati Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi unienda, et aggreganda esset; ita ut in posterum ex duabus confraternitatibus hujusmodi unica tantum effecta, hæc Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, et beatæ Mariæ virginis de Angustiis simul nuncupari deberet, quam quidem unionem venerabilis frater patriarcha Lisbonensis decreto ædito die decima nona junii currentis anni MDCCLXXVI. confirmavit, et approbavit, ac alias prout in dicto decreto, cujus tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, fusius continetur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, quo firmius unio prædictarum confraternitatum subsistat, eam per Nos confirmari, et approbari, atque insuper indulgentias primodictæ confraternitati alias concessas ad omnes confratres confraternitatis, sicut, ut præmittitur unitæ extendi, et ampliari plurimum desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, prædictam unionem earumdem duarum confraternitatem in unam tantum confraternitatum Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, et beatæ Mariæ virginis de Angustiis nuncupandam, ut præfertur, expletam auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illique perpetuæ, ac inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus; ac præterea omnibus, et quibuscumque confratribus utriusque confraternitatis, sicut præfertur, unitæ, qui vere pœnitentes, et confessi, ac sacra communione refecti in festo principali confraternitatis beatæ Mariæ virginis de Angustiis ecclesiam dicti conventus visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam; in aliis vero quatuor diebus cujuslibet anni jampridem confratribus prædictæ confraternitatis beatæ Mariæ virginis de Angustiis assignatis septem annos, et totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta misericorditer in Domino concedimus.

Clausulæ sublata, et decretum irritans

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præ-

missis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictarum confraternitatum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis, ac personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo, ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum die decima nona novembris millesimo, septingentesimo, septuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno secundo.

CXV.

Dat. die 16 novembris 1776. Anno II.

Facultas utendi cantu Gregoriano monialibus ordinis s. Augustini Recollectarum nuncupatarum civitatis Valentinæ in Hispania concessa.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Constitutiones ordinis prohibentne in celebratione divinorum officiorum utatur cantu Gregoriano.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectæ in Christo filiæ modernæ priorissa, et moniales ordinis sancti Augustini Recollectarum nuncupatarum monasterii sub titulo, seu invocatione Præsentationis beatæ Mariæ virginis civitatis Valentinæ in Hispania, quod ipsæ tam ad majorem earum devotionem, fervoremque excitandum, quam ad hoc, ut sese reliquarum ecclesiarum usui præsertim ipsarum ordinis conformes reddant, quam maxime cupiunt, uti cantu Gregoriano in celebratione divini officii; verum quia id ab una ex constitutionibus earumdem monialium impeditum remanet, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Ad majorem Dei gloriam constitutiones reformantur, et licentia conceditur utendi cantu Gregoriano in omnibus ecclesiasticis functionibus.

§. 2. Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, earumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, eisdem nunc, et pro tempore existentibus priorissæ, et monialibus dicti monasterii, ut non obstante quacumque dispositione contenta in earum constitutionibus, ipsæ de cætero cantum Gregorianum in choro, aliisque ecclesiasticis functionibus adhibere, et introducere, ac prosequi libere, et licite possint, et valeant auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus.

Clausulæ salutares, et irritantes.

§. 3. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, ap-

probatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum die vicesima sexta novembris millesimo, septingentesimo, septuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 9. decembris 1776. Anno II.

CXVI.

Confirmatio assignationis unius cappellaniæ jampridem erectæ in ecclesia de Jesu urbis factæ favore conservatorii Assumptionis B. M. V. I. pariter de urbe.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cappellania assignata erecta fuerat a Francisco Gallassi in ecclesia de Jesu nuncupata.

§. 1. Nuper nomine conservatorii Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis nuncupati de urbe, ac dilectarum in Christo filiarum mulierum in eo existentium expositum Nobis fuit, quod alias, nempe, de mense augusti anni 1774, ipsæ a congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium super rebus, ac negociis extinctæ societatis Jesu deputatorum obtinuerunt, ut cappellania jampridem in ecclesia de Jesu nuncupata urbis prædictæ erecta a quondam Francisco Gallassi, una cum ejus dote, seu fundo, aut bonis ad eam pertinentibus, et a dilecto filio Angelo Burroni presbytero modo possessa, eidem conservatorio assignata censeretur, ita tamen ut ecclesia interior dicti conservatorii apostolica auctoritate in locum ecclesiæ Jesus hujusmodi substituenda, et subroganda esset. Nobis propterea mulieres prædictæ ejusdem conservatorii nomine humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et substitutionem, seu subrogationem earum interioris ecclesiæ in locum alterius de Jesu prædictæ de benignitate apostolica indulgere dignaremur.

Confirmatur assignatio facta, et subrogatur ecclesia conservatorii, in locum alterius de Jesu, pro celebratione missarum.

§. 2. Nos igitur conservatorium, et mulieres ibidem existentes prædictas specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, assignationem dictæ cappellaniæ a memorato Francisco in ecclesia de Jesu hujusmodi erectæ, una cum ejus dote, seu fundo, aut bonis, et redditibus ad illam pertinentibus favore dicti conservatorii, ab eadem congregatione, ut præfertur, factam auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, ecclesiamque interiorem conservatorii prædicti in locum alterius ecclesiæ de Jesu auctoritate, et tenore similibus perpetuo substituimus, et subrogamus. Quo circa missas omnes, quæ ante hujusmodi assignationem juxta ipsius Francisci fundatoris voluntatem celebrandæ erant in ecclesia de Jesu, post assignationem prædictam, et perpetuis futuris temporibus in ecclesia interiori dicti conservatorii celebrari volumus, et mandamus, easque suffragari debere, perinde ac si in ecclesia de Jesu celebratæ fuissent, auctoritate, et tenore prædictis statuimus, et declaramus.

Clausula sublata, et decretum irritans

§. 3. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, ed efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstante ipsius Francisci fundatoris etiam ultima voluntate, quam ad præmissorum effectum expresse commutamus, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, effi-

cacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die nona decembris millesimo septingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 18 decembris 1776. Anno II.

CXVII.

Revocatio literarum concessionis usus pontificalium alias impertiti priori monasterii ss. Stephani, et Brunonis de Nemore nuncupati, ordinis Carthusiensis nullius diœcesis provinciæ Rheginensis.

Pius Episcopus

servus servorum Dei

Ad futuram rei memoriam

Ratio constitutionis

§. 1. Ad compescendos conatus, quibus aliqui ambitu ducti ab apostolica Sede fucatis prætextibus prærogativas aliquas sibi adscisci procurant, satis, superque in sacris canonibus, apostolicisque constitutionibus cautum est, ut omnibus ad gratiam, justitiamve ab ea impetrandam, opportunis fideliter narratis minime reticere liceat, quæ summi pontificis animum ab ea concessione retrahere valerent, quæ cum ita se habeant, quemadmodum prædecessores Nostri commovere, ita et Nos peractas concessiones, si in eas quid obiiciatur, perpendere, et justis ita exigentibus causis, irritas reddere non renuimus.

Preces porrectæ

§. 2. Cum itaque asserto nomine primum cleri unius de la Serra, et aliorum locorum nullius diœcesis provinciæ Rheginensis jurisdictionis pro tempore existentis prioris monasterii sanctorum Stephani, et Brunonis de Nemore nuncupati Carthusiensis ordinis, ac subinde pro parte etiam ejusdem monasterii prioris plurimæ Nobis fuerint supplici libello enunciatæ ipsius monasterii prærogativæ, et jura, quæ veram, et propriam præseferunt ordinariam, et quasi episcopalem jurisdictionem, atque insuper felicis recordationis Clementem papam XIII prædecessorem Nostrum ipsi priori facultatem contulisse benedictionem nomine Romani pontificis in solemnitate Dominicæ resurrectionis universo populo impertinendi, proptereaque hoc unum eidem priori desse, ut in solemnibus functionibus uti possit pontificalibus indumentis, quæ sacræ rei maximum adderent decorem, Nobisque iidem enixe supplicarunt, ut eorum communibus votis annueremus. Iis quidem exceptis precibus venerabili fratri Nostro archiepiscopo Rheginensi specialem epistolam inscribi jussimus, ut ipse Nos super hac re instructos redderet, votumque suum Nobis aperiret: cumque prolixa ejus epistola die vigesima tertia aprilis proxime præteriti obsignata idem archiepiscopus, repetitis illius monasterii prærogativis, et juribus, censuerit posse priori ejusdem monasterii concedi pontificalium vestium usum ad instar aliorum prælatorum inferiorum; ideo Nos erga Carthusianorum ordinem beneficentiam Nostram ostendere exoptantes, cum alias ob merito conceptam fidem persuasum Nobis esset, aliquem ex illius ordinis alumnis ea, quæ vetita sunt minime ambiturum fore, per Nostras apostolicas literas sub datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem nono kalendas proxime præteriti mensis augusti, pontificatus Nostri anno secundo, moderno, et pro tempore existenti illius monasterii priori in perpetuum concessimus, ut pontificalibus indumentis distinctim enumeratis in ecclesiasticis functionibus uti, eaque adhibere valeret. Verum nuper dilectus filius Ignatius de Maisons presbyter ejusdem ordinis procurator generalis Nobis exposuit, juxta leges, quas fundamentales vocant, minime licuisse, neque licere cuiquam ex ordinis Carthusianorum professoribus pontificalia adhibere indumenta, quæ alias prior generalis major denominatus ab apostolica Sede oblata humili, sed efficaci supplicatione respuere debuit nonnullas pariter, et quidem magni pon-

deris addidit rationes, quæ concessionem a Nobis ex ingenio, industriaque habitam, et subreptionis, et obreptionis vitiis obnoxiam esse, atque non sine ambitu exortam fuisse evincunt.

Revocatio concessionis.

§. 3. Nos igitur, qui non ad perturbandam illius ordinis disciplinam, et observantiam, sed ad augendam illius eximiam præstantiam præmissam elicere concessionem arbitrati fuimus, ne illa censeatur in destructionem peracta, et ex aliis causis animum Nostrum moventibus: motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine literas super concessione usus pontificalium ad moderni, et pro tempore existentis prioris monasterii sanctorum Stephani, et Brunonis de Nemore nuncupati favorem, ut præfertur, obtentas, subreptitias, et obreptitias, ac nullas, et invalidas, et inde sequuta quæcumque etiam nulla, et invalida, nulliusque roboris, vel momenti fuisse, et esse apostolica auctoritate declaramus; quinimo easdem literas cum omnibus, et singulis clausulis in eis contentis, pari auctoritate revocamus, cassamus, tollimus, ac irritamus, et omnibus viribus, et effectu evacuamus. Propterea que moderno, et pro tempore existenti illius monasterii priori sub vocis activæ, et passivæ, aliisque arbitrio Nostro ferendis pœnis districte inhibemus, et interdicimus, ne iisdem literis, et concessionibus in eis contentis uti aliquo modo audeat, seu præsumat.

Clausula sublata et decretum irritans

§. 4. Præsentes autem literas etiam ex eo quod dictus prior ad id vocatus, citatus, vel auditus non fuerit, aut ex alia quavis causa subreptionis, vel obreptionis, aut cuivis alii defectui minime obnoxias esse, vel fore; sicque, et non alias per quoscumque judices quavis auctoritate fungentes, sublata eis quavis aliter judicandi facultate, judicari, et definiri debere, ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus, quatenus opus esset, Nostra, et cancellariæ apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque, si quæ obstarent, constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, contrariis quibuscumque.

Sanctio pœnalis.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostræ declarationis, revocationis, cassationis, irritationis, inhibitionis, interdicti, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo septuagesimo sexto, quarto decimo kalendas januarii, pontificatus Nostri anno secundo.

CXVIII.

Translatio professorum ordinis sancti Antonii ad Hierosolymitanum ordinem, cum diversa dispositione eorum monasteriorum.

Dat. die 16. januarii 1776 Anno II.

Pius episcopus
servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam

Proœmium.

§. 1. Rerum humanarum conditio quandoque ferre solet, ut quæ omnium votis magnopere expetita olim fuerant, et prospere adaucta, eo tamen declinare sensim perspiciantur, ut nisi validum suppeditetur auxilium in discrimen adducantur. Id sane contigere intelleximus perantiquo regulari ordini, cui summa cura est præter aliarum virtutum exercitium, charitatem cæteris egenis, et pauperibus impendere. Ne autem ob passas vicissitudines, pia deficiente institutione, desit et pauperibus subsidium supremi, cui immerito præsumus, apostolatus muneris, interest ad Christi Ecclesiam bene gerendam, illum paterno favore, studio, atque opere prætium esse ducimus ordinem ipsum aliis fere similibus, ubi non desunt adjungere, ut enixior sit charitas, eaque in christiana republica, etiam atque etiam effloreseat.

Erectio, et privilegia ordinis hospitalis s. Antonii de sancto Antonio denominati.

§. 2. Cum itaque, sicut nuper accepimus, ordo hospitalis sancti Antonii de sancto Antonio denominatus, qui usque ab anno reparatæ salutis humanæ millesimo centesimo nonagesimo quinto sub Urbano secundo prædecessore Nostro sumpsit initium, quamvis summopere auctus, et aliorum prædecessorum Nostrorum privilegiis amplissimis donatus, ubique in pretio habitus fuerit, ac erga pauperes infirmos præsertim igne sauciatos in nosocomiis ad id institutis eximia charitatis exhibuerit opera, nihilominus postremis hisce temporibus, decrescente hominum erga ordinem ipsum studio, ac devotionis af-

fectu, paulatim ita noscitur imminutus, ut tunc ex biscentum, et septendecim illis professoribus presbyteris, ac tresdecim conversos inter et donatos, ut vocant, tantummodo constaret, modo vero aliquorum secuto ab humanis decessu, ducenti, ac undecim presbyteri, et unus supra decem similes conversi, et donati superstites in eo recenseantur, quorum plures provectam, ac etiam similem assequuti fuerunt ætatem. Ii quidem præter minores domus, et adiacentias unum supra triginta incolere tenentur ipsius ordinis monasteria, ex quibus viginti sex in carissimi in Christo filii Nostri Ludovici Galliarum regis christianissimi regnis, intra quæ idem ordo latius noscitur diffusus, enumerantur, illisque præest Viennense monasterium, quod caput est ordinis, ibique generalis abbas sedem habet; duo vero in dominiis extant carissimi etiam in Christo filii Nostri Victorii Amadei Sardiniæ regis illustris, ac demum unum Romæ, cui prioratus eiusdem ordinis in civitate Sarnensi situs annexus reperitur, alterum in civitate Nostra Avenionensi, et reliquum in loco de Valreas in Nostro pariter Venayssino comitatu sita sunt.

De alumnis ordinis ad deserviendum hospitalibus destinatis.

§. 3. Cumque ejusdem ordinis alumni ad deserviendum hospitalibus, aliaque munera obeunda numero impares se se agnoscerent in eorum comitiis generalibus die vigesima quinta octobris millesimi septingentesimi septuagesimi quarti coactis res mature inter ipsos perpensa fuit, et potius quam præstolari extinctionem, salubrius illis visum fuit consilium ordini militari sancti Joannis Hierosolymitani, qui hospitalitatem itidem profitetur, se se addicere. Antequam autem apostolicæ Sedis auctoritatem implorarent, propositam eorum deditionem tunc existenti magno magistro ordinis Hierosolymitani obtulere, quo expetitæ unioni morem gerente per commissarios utrinque selectos, sequentes conventiones septendecim articulis contentæ initæ fuerunt, videlicet.

De commutatione religiosorum.

§. 4. Primum. Quod religiosi sancti Antonii Viennensis pertranseant in religionem sancti Joannis Hierosolymitani, illiusque præsens abbas generalis recenseatur inter magnas cruces: reliqui vero inter fratres cappellanos conventuales, gestentque respectivi ordinis sancti Joannis Hierosolymitani vestes, et insignia, ac a die peractæ translationis, unionis, et incorporationis gaudeant omnibus honoribus, commodis, privilegiis, prærogativis, et facultatibus, quibus religiosi sancti Joannis Hierosolymitani perfruuntur, cum hoc tamen, quod illorum antianitas, ad effectum optionis ad commendas, inter eosdem reguletur, et decurrat a die, quo ipsi in religione sancti Antonii fuerunt recepti.

De translatione bonorum.

§. 5. Secundum. Quod omnia bona, jura, nomina debitorum, rationes, et actiones quæcumque, feuda, dominia, redditus, jurisdictiones una cum debitis, et oneribus religioni sancti Antonii ad præsens, et in futurum pertinentes, et quibus religiosi sancti Antonii nunc gaudent, aut in posterum gaudere possent, pleno jure ad religionem sancti Joannis Hierosolymitani pertranseant, eique perpetuo sint, et acquirantur.

De stemmate, seu signo servando

§. 6. Tertium. Quod ut religionis sancti Antonii memoria servetur, ejus stemma, seu signum stemmati religionis sancti Joannis Hierosolymitani adjungatur.

De adimplemento legatorum.

§. 7. Quartum. Quod in domibus, ecclesiis, commendis, locis, et bonis religionis sancti Antonii post prædictam translationem, unionem, et incorporationem retineatur, et exerceatur hospitalitas secundum ejusdem ordini, statuta; ac adimpleantur legata, fundationes, aliaque onera, quæ dictis domibus, commendis, ecclesiis, locis, et bonis sunt infixa, atque in horum omnium adimplementum, et executionem prædicti religiosi sancti Antonii in religiosos, seu cappellanos conventuales sancti Joannis Hierosolymitani translati sint præferendi.

De reliquia insigni s. Antonii servanda a collegio cappellanorum.

§. 8. Quintum. Quod in honorem insignis reliquiæ sancti Antonii, quæ servatur, et colitur in abbatia in Delphinatu existenti, quæ caput est religionis, et quæ post unionem, et incorporationem restituetur ad statum commendæ, prout erat antiquitus, et ante constitutionem Bonifacii VIII, in perpetuum constituatur capitulum, seu collegium ex sufficienti cappellanorum conventualium numero compositum, eique præponatur prior, qui per se, vel substitutos ecclesiæ servitio, et decori incumbat, curetque, ut debita diligentia, et charitate hospitale, et infirmi in eo recipiendi pertractentur, quodque liceat omnibus religiosis sancti Antonii in eadem abbatia, seu commenda residere, et honestam habere habitationem independenter a congrua eis assignanda, et mox recensenda.

De substentatione abbatis generalis.

§. 9. Sextum. Quod patri abbati generali suæ qualitatis, et characteris intuitu pro congrua, et honesta ejus substentatione libere subministrarentur singulis annis, sua vita naturali durante, libræ duodecim mille ex redditibus utriusque religionis, et insuper concedatur domus de Balan cum suis dependentiis, et usus cappellæ, et bibliothecæ; sed remaneant ipsius oneri expensæ necessariæ pro illarum conservatione, et reparationibus.

De assignamen to aliorum religiosorum.

§. 10. Septimum. Quod pariter ex redditibus, et proventibus utriusque religionis seniori, seu ætate majori pro tempore religiosorum sancti Antonii post prædictam translationem, unionem, et incorporationem pro ejus congrua substentatione assignentur libræ duæ millæ; aliis vero religiosis jam constitutis in ætate annorum quinquaginta, aut qui ad eamdem ætatem pervenient, libræ millæ, et quingentæ, et demum reliquis ætate minoribus mille, et ducentæ libræ quoque singulis annis, eorum vita naturali durante, persolvantur.

De beneficiis habentibus curam animarum adnexum.

§. 11. Octavum. Quod quamvis religiosis illis sancti Antonii, qui beneficia possident curam animarum habentia, et ad ipsam religionem sancti Antonii non pertinentia, religio sancti Joannis Hierusalem in illius locum, et jura subrogata nihil subministrare teneretur, attamen titulo congruæ manutentionis iisdem subministrentur annuæ libræ sexcentæ quoad vivant, et quatenus beneficia, quæ possident, dimittant, integra pensio eadem forma, et modo, quo aliis religiosis fuit assignata.

De religiosis inservientibus parochiis.

§. 12. Nonum. Quod religiosi sancti Antonii, qui actu inserviunt parochiis, seu curis dependentibus ab eorum religione ea retinere possint etiam postquam translati ad ordinem sancti Joannis Hierosolymitani fratres cappellani conventuales evaserint, ita tamen, ut post illorum mortem, aut dimissionem, antedictæ parochiæ, seu beneficia curata remaneant liberæ collationis, valeantque de iis disponere ordinarii, sitque oneri religionis sancti Joannis Hierusalem parochis, seu curatis congruam fructuum partem pro ipsorum substentatione subministrare. Quoad vero religiosos sancti Antonii, qui actu possident beneficia curata, aut simplicia dependentia ab aliis ordinibus, et congregationibus sancti Augustini, ea pariter, donec vixerint, remaneant penes eosdem, ac impetrentur ad hujusmodi effectum, si quæ sint necessariæ, apostolicæ facultates, et dispensationes.

De decano fratrum ordinis converso.

§. 13. Decimum. Quod fratri converso ordinis sancti Antonii, qui est nunc decanus, diuturni ejus servitii intuitu assignetur annua pensio librarum octingentarum, quoad vivat; aliis vero conversis in ætate sexaginta annorum constitutis libræ septingentæ, ac iis, qui juniores sunt, et dictam ætatem non attingerunt libræ sexcentæ, pariter eorum vita naturali durante; ac omnibus concedatur habitatio in abbatia, seu commenda, quæ est ordinis caput.

Aliæ peculiares subministrationes.

§. 14. Undecimum. Quod duobus fratribus donatis, quorum alter deservit ecclesiæ nuncupatæ de Trois Epis, et alter ecclesiæ domus Lugduni subministrentur pro quolibet, eorum vita naturali durante, annua pensio librarum sexcentarum, nec non alia similis pensio librarum centum, et quinquaginta Paulo Bonuier recenter in numero fratrum donatorum recepto.

De modo solvendi pensiones.

§. 15. Duodecimum. Quod omnes supradictæ pensiones persolvantur in quatuor distinctis ratis tertio quolibet mense a sex receptoriis, quas retinet religio sancti Joannis Hierusalem Parisiis, Lugduni, Massiliæ, Tholosæ, Tuilly, et Pictavii, atque id ad placitum ipsorum religiosorum sancti Antonii in altera ex iisdem receptoriis, quæ ab iisdem fuerit electa.

De extraordinaria subministratione.

§. 16. Decimumtertium. Quod præter pensionem, ut supra, assignatam, et constitutam, solvantur quoque religiosis sancti Antonii pro unica vice libræ sexcentæ postquam translatio, unio, et incorporatio prædicta perfecta fuerit, atque eæ pro itinere, aliisque expensis ad locorum mutationem necessariis.

De rebus mobiliaribus, gregs, torculariis, cavis, aliisque vasibus pro vino servando.

§. 17. Decimum quartum. Quod mobilia omnia existentia in domibus, et mansionibus religionis sancti Antonii distribuantur inter ejus religiosos, exceptis rebus ad sacristiam pertinentibus, et bibliothecis, quæ in statu, quo reperiuntur pertranseant, et acquirantur religioni sancti Joannis Hierosolymitani omnia instrumenta, stylia, et utensilia ad terrarum culturam destinata, prout quoque animalia, greges, torcularia, cavæ, et alia vasa, in quibus vinum servatur.

De modo servando in capienda possessione.

§. 18. Decimum quintum. Quod commissariis ordinis sancti Joannis Hierosolymitani deputati, ut bonorum, domorum, et commendarum possessionem accipiant, procedant cum administratoribus singularum domorum sancti Antonii ad fixationem, et liquidationem portionis redditnum spectantium

ad unamquamque domum, et ad illud usque tempus maturatorum, ac insuper ab eis deductis peculiaribus expensis, si adinvenirentur credita provenientia ex pensionibus affictuum, aut ex subventionibus affictuariis præstitis, ordo sancti Joannis Hierosolymitani, cujus commodo, et emolumento cedent, teneatur ad ea restituenda.

De peculiaribus nonnullis commendis distribuendis.

§. 19. Decimum sextum. Quod commendæ de Ruffey, et de Perpignan spectantes ad religionem sancti Antonii remaneant penes religiosos, qui nunc illas retinent, et possident, atque iisdem gaudeant, ipsorum vita naturali durante, independenter, et sine præjudicio pensionis, ut supra, favore omnium religiosorum constitutæ, verum eorum oneri sit adimplere onera, et fundationes, legata exolvere, ædes restaurare, et prædia servare, ac custodire, atque ad hujusmodi effectum se submittent visitationibus, et ordinationibus sancti Joannis Hierosolymitani, intra quorum limites sitæ reperiuntur.

De subjectione bonorum impositionibus cleri.

§. 20. Decimum septimum. Demum, quod bona omnia, et jura, quæ vigore toties dictæ unionis, et incorporationis a religione sancti Antonii ad religionem sancti Joannis Hierosolymitani fuerint translata, remanent subjecta, ut prius, impositionibus cleri in qualibet diœcesi, in qua existunt, sine tamen præjudicio exequutionis, et observantiæ transactionis inter prædictum clerum, et religionem sancti Joannis Hierosolymitani stipulatam ante epocham præsentis unionis, et incorporationis super bonis ab eadem religione sancti JoannisHierosolymitani acquisitis.

Preces unanimes utriusque religionis, et regis christianissimi pro approbatione unionis.

§. 21. Porrectis deinde Nobis pro unione impetranda, et conventionum hujusmodi approbatione utriusque ordinis supplicationibus una simul epistola oblata Nobis fuit ejusdem Ludovici regis christianissimi, qui ejus vota, ac preces ad impetrandam unionem interposuit. Nos autem, ut consulto in re tanti momenti procederemus die quinta junii anni proxime præteriti particularem congregationem venerabilium fratrum Nostrorum Joannis Francisci episcopi Ostiensis, et Veliternensis Albani nuncupati sacri collegii decani, ac Hieronymi episcopi Prænestini Spinola nuncupati, et dilectorum filiorum Nostrorum Karoli Victorii tituli sanctæ Præxedis a Lanceis nuncupati, ac Francisci Xaverii tituli sancti Martini ad Montes de Zelada nuncupati presbyterorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium, nec non tunc in humanis agentis Benedicti ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis Veterani nuncupati deputavimus ad effectum examinandi instantiam, et deinde Nobis referendi.

Votum congregationis deputatæ.

§. 22. Ab hac autem congregatione postquam diu perpensæ, ac serio ad examen revocatæ fuerunt nedum causæ, quæ petitæ unioni favebant, sed etiam difficultates, et oppositiones, quæ supervenerant, ac demum quæ essent conventiones inter partes initæ, et an approbationem mererentur, die decima octava julii proxime præteriti iisdem cardinalibus insimul congregatis, quoad monasteria in regnis ejusdem christianissimi regis existentia unanimi eorum suffragio prodiit resolutio per hæc verba.

Tenor resolutionis congregationis deputatæ.

§. 23. Pro gratia unionis in genere, et quoad modum ad dominum cardinalem decanum cum SSmo. Integram illico ab eodem Joanne Francisco episcopo, et cardinale totius negotii, et exceptionum, quæ deductæ fuerant, relationem, ac futuram utilitatem postulatæ unionis excepimus, et audivimus.

Aliæ preces regum diversorum, ad eumdem finem.

§. 24. Interim Nobis enixæ oblatæ fuere preces cum ejusdem Victorii Amadei regis ad hoc, ut de ambobus monasteriis in ejus dominiis sitis rationem quoque haberemus, tum carissimi pariter in Christo filii Nostri Ferdinandi utriusque Siciliæ regis illustris, qui in votis summopere habebat, ut præceptoria ordinis ejusdem sancti Antonii in civitate Neapolis, quæ alumnis ipsius ordinis caret, quamvis jampridem ab apostolica Sede in commendam concedi fuerit solita, nihilominus ordini illi Constantiniano, cui idem Ferdinandus rex magnus asseritur magister, ut ex ea prioratus Constantiniani ordinis erigeretur, annecteremus, magnique ponderis Nobis expositæ rationes causam dedere, ut circa monasteria extra Galliarum regna existentia diversam agendi rationem habendam esse arbitraremur.

Motusproprius pro unione decernenda.

§. 25. Nos igitur, qui christianorum principum votis quantum in Domino possumus obsecundare studemus, mente Nostra etiam recensentes præclara, et conspicua militarium ordinum gesta, et præcipue ordinis Hierosolymitani, quoniam illius milites tum pro catholicæ reipublicæ defensione labores, et pericula constanter subeunt, tum animo ad pietatis, et charitatis officia converso humile, piumque hospitalitatis ministerium præstare non

omittunt, ac dilecto filio Nostro nobili viro magno Hierosolymitani ordinis magistro adeo de supremo sibi delato munere cum ordinis sui profectu benemerenti specialem animi Nostri significationem impertiri exoptantes, omnesque, et singulas personas, quorum favore præsentes Nostræ literæ concernent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, juxta ipsius congregationis sensum in primis quamcumque unionem domus, seu præceptoriæ sancti Antonii de urbe monasterio, et mensæ abbatiali ejusdem sancti Antonii de sancto Antonio Viennensi a felicis recordationis Paulo papa III. prædecessore etiam Nostro, ut accepimus, factam præsentium literarum vigore penitus, et omnino dissolvimus, illamque tollimus, et abolemus, eaque dissoluta, præinsertas conventiones in articulis præmissis contentas de apostolicæ potestatis plenitudine harum serie approbamus, et confirmamus, atque illis inviolabilis firmitatis vim, et robur adiicimus, atque ab utraque parte futuris temporibus in omnibus, et singulis illarum articulis, atque sub eisdem pactis, et conditionibus observari, ac exequi debere, nec ab eis recedi, vel resiliri unquam posse decernimus, exceptis iis, quibus specialiter a Nobis providebitur, signanter quoad domum sancti Antonii de urbe, et religiosos in ea commorantes.

Descriptio monasteriorum uniendorum.

§. 26. Idcirco viginti sex monasteria ordinis sancti Antonii in totidem locis regnorum christianissimi regis sita, nimirum l'Abbaye, et ses dependance Paris = Ponta Mausion = Besancon et Aumonure = Isenheim = Toulouse = Chalons Lursaone = Strazbourg = Troyu = Pont en Royan = Trois = Epis = s. Marcellin = La Faucondiere = Norges = Vienne = Clermontferrand = Reims = Roven = Barledue = Metz = Lalande = Lyon = Briey = Aubeterre = Pont Daurat = Marseille = cum omnibus eorum membris, granciis, fundis, dominiis, proprietatibus, fructibus, redditibus, proventibus, et bonis, ac semoventibus, bibliothecis, juribus, et actionibus universis, nec non ecclesiis, non tamen parochialibus ad ordinem sancti Antonii hactenus spectantibus, una cum earum sacris suppellectilibus ordini militari, ac etiam hospitali sancti Joannis Hierosolymitani deinceps, ut infra, denominando etiam apostolica Nostra auctoritate, ipsarum tenore præsentium ita perpetuo unimus, annectimus, et incorporamus, atque omnes, et singulos ordinis sancti Antonii hactenus alumnos, qui in dictis regnis, ac respective dominiis solemnem emiserint professionem, ad Hierosolymitanum ordinem in gradu fratrum cappellanorum pariter transferimus, ut posthac, et in perpetuum Hierosolymitani ordinis magnus magister ordinibus sic unitis præsit, atque enunciata viginti sex monasteria in dictis regnis existentia, omnes quoque, et singuli usquemodo ordinis sancti Antonii professores tamquam fratres cappellani servientes, ac personæ in eisdem regnis existentes, curæ, gubernationi, et jurisdictioni ipsius Hierosolymitani ordinis magni magistri in omnibus, et per omnia subsint, prout hactenus eorum abbati generali suberant, illique tamquam membra capiti obediant.

Licentia de capienda possessione.

§. 27. Præterea nomine Hierosolymitani ordinis magni magistri corporalem possessionem dictorum sex supra viginti in Galliarum regnis monasteriorum hospitalium, mansionum, aliorumque regularium locorum non tamen parochialium ecclesiarum per se, vel alium, seu alios auctoritate a Nobis, prout infra, impertienda libere apprehendendi, et perpetuo retinendi, fructusque, redditus, et proventus in utriusque ordinis opportunos, et necessarios usus, et utilitatem convertendi licentiam concedimus, et elargimur.

Conditiones servandæ in unione.

§. 28. Cumque unionis hujusmodi vigore sancti Joannis Hierosolymitani, et sancti Antonii ordinis unum corpus efficiant juxta præmissam conventionem sub articulo tertio expressam, ac relationem resolutionis ejusdem particularis congregationis Nobis factam statuimus, quod, ut religionis sancti Antonii memoria servetur, ejus stemma, seu signum jam a felicis recordationis Bonifacio papa VIII. etiam prædecessore Nostro per suas literas apostolicas sub datum anno Domini millesimo biscentesimo nonagesimo septimo, quintodecimo kalendas junii, pontificatus sui anno tertio designatum, et approbatum stemmati religionis sancti Joannis Hierosolymitani adjungatur, atque insuper utriusque ordinis professores palam, et publice regulares ordinis sancti Joannis

Hierosolymitani, ac sancti Antonii denominentur. Porro duo monasteria in dominiis ipsius Victorii Amadei regis, unum Taurini, et alterum Camberiaci existentia, quoniam ipse ordinis sanctorum Mauritii, et Lazari, qui etiam hospitalitatem profitetur, magnus est magister, hujusque ordinis exoptat ampliationem, Taurinense videlicet prædicto ordini sanctorum Mauritii, et Lazari, Camberiacense vero aut eidem sanctorum Mauritii, et Lazari, aut sancti Joannis Hierosolymitani ordini, ad ipsius Victorii Amadei regis libitum, firma tamen remanente religiosorum ibidem degentium translatione ad Hierosolymitanum ordinem in gradu fratrum cappellanorum, qui seu naturales subditi ejusdem Victorii Amedei regis alimenta, ut infra, ab eodem erunt percepturi, ac servatis infrascriptis, auctoritate præmissa perpetuo pariter unimus, annectimus, et incorporamus.

Distributio onerum ab utraque religione ferendorum.

§. 29. Iam vero ad præscribenda onera, quæ post secutam unionem erunt respective subeunda, animum Nostrum vertentes auctoritatis Nostræ plenitudine præcipimus, et mandamus, ut ubique nedum in ecclesiis divinus servetur cultus, et erga sanctum Antonium populorum devotio foveatur, pia legata, ac fundationes adimpleantur, sed etiam quod præcipuum est, ac in præinsertis articulis pollicitum, omnia nosocomia, et hospitalia hactenus ad ordinem sancti Antonii in enunciatis locis spectantia ad ægrotos curandos, et alendos destinata, præstantiori servata methodo, non quidem prout postremis hisce temporibus agebatur, sed juxta primævam ordinis sancti Antonii institutionem, et cum debito inservientium numero egenis, ac pauperibus pateant, ac in illis perpetuo hospitalitas exerceatur, idque servari debeat non modo superstitibus, sed etiam extinctis iis, qui ordini sancti Antonii ante præsentem unionem nomen dederant. Quoniam Hierosolymitanus, et respective sanctorum Mauritii, et Lazari militares ordines teneri debent ordini unito sancti Antonii opem afferre in hospitalitatis actibus, qui juxta primævam institutionem peragendi sunt. Illis vero extinctis ad ordinis sancti Antonii onera, et obligationes adstricti erunt ambo militares ordines, ne ex secuta unione institutionis ratio violata, vel læsa remaneat, aut christianæ reipublicæ detrimentum aliquod inferatur. Ac demun ad quæcumque alia onera, annuasque præstationes, ac solutiones, ad quas ordo sancti Antonii, ejusque monasteria tenebantur, quas inter cum monasterio Viennensi in Delphinatu, ejusque mensæ in actu suppressionis illius commendæ anno Domini millesimo sexcentesimo vicesimo quarto apostolica auctoritate peractæ infixum recenseatur onus solutionis quindenniorum in summa bis mille quingentorum triginta septem scutorum, et obulorum viginti quatuor cum dimidio ad illorum solutionem Hierosolymitanus ordo futuris temporibus teneatur.

Declarationes peculiares circa ordinem ss. Mauritii, et Lazari.

§. 30. Præter autem hasce obligationes, cum non omnes in articulis præinsertis contentæ, et ab ordine Hierosolymitano acceptatæ, ad ordinem sanctorum Mauritii, et Lazari spectare censeantur, neque ad hunc ordinis sancti Antonii transferantur professores, idcirco declarandum superest, quod ordo sanctorum Mauritii, et Lazari ad alimenta præstanda in summis sub articulo septimo earumdem conventionum præfinitis omnino teneatur. Verum ipsi Victorio Amadeo regi arbitrium tribuimus, alimenta hujusmodi ad vitam præstandi vel iis, qui modo in ambobus monasteriis in suis dominiis degunt, vel illis, qui naturales ejus subditi sunt, ubicumque eos commorari contigerit, ac insuper de ejus summa pietate confisi eidem Victorio Amadeo regi facultatem impertimur, ut unius, vel amborum monasteriorum in suis dominiis bona in commendas, vel in alios pios usus magis conformes institnto ordinis sanctorum Mauritii, et Lazari, adimpletis tamen præmissis oneribus, convertere queat. Iis vero, qui alimenta ex bonis ordini sanctorum Mauritii, et Lazari concessis erunt percepturi expresse præcipimus, ut ipsi in ecclesiis, et hospitalibus ordinis, ut præfertur, uniti divino cultui deservire, omnemque personalem operam, et assistentiam, quoad vixerint, exhibere, et præstare teneantur.

Suppressio regularitatis in ecclesiis parochialibus ordinis.

§. 31. Cæterum in parochialibus ecclesiis hactenus ordinis sancti Antonii in eisdem regnis, et dominiis existentibus ab unione præsentium literarum vigore peracta exceptis, et præservatis naturam, statum, et essentiam omnem regularem ipsius ordinis perpetuo supprimimus, et extinguimus, easdemque parochiales ecclesias ad statum sæcularem sub omnimoda venerabilium etiam fratrum Nostrorum archiepiscoporum, et episcoporum, in quorum diœcesibus respective sitæ sunt, jurisdictione, ita

quod citra tamen præjudicium aliquod eorum presbyterorum hactenus ordinis sancti Antonii professorum, qui eas modo possident, quique in uno, aut altero militaribus ordinibus profitebuntur, illæ deinceps, et cum vacaverint juxta canonicas sanctiones, et concilii Tridentini decreta presbyteris sæcularibus cum omnibus earum respective bonis, redditibus, annuisque assignationibus, prout in suprainsertis articulis sub numero nono noscitur cautum fuisse, conferri debeant præsentium quoque literarum Nostrarum vi apostolica auctoritate perpetuo reducimus, et immutamus.

Exclusio pensionum, aliorumque assignamentorum, ratione sanguinis.

§. 32. Ad amovendam præterea quamlibet quæstionis, vel etiam dubietatis causam expresse declaramus, quod cum sæpedicti ordinis sancti Antonii professores in regulari statu sint permansuri, et singulorum substentationi satis consultum sit, nullum idcirco ex bonis ante regularem professionem patrimonialibus, vel alias ratione sanguinis sibi delatis alimenta petendi jus ipsis competere poterit.

Specialis providentia circa præceptoriam s. Antonii civitatis Neapolis.

§. 33. Quo vero ad præceptoriam sancti Antonii civitatis Neapolis, quæ jamdiu omnibus prorsus caret ordinis ejusdem professoribus, commendarique erat solita, nec non prioratum in civitate Sarnensi existentem, ut præcipuam animi Nostri significationem erga eumdem Ferdinandum regem ostendamus, tam præceptorium Neapolis, quam Sarnensem prioratum, prævia hujus a monasterio sancti Antonii de urbe segregatione, una cum illorum ecclesiis, et monasteriis, ac omnibus, et singulis ædificiis, sacris suppellectilibus, ac mobilibus etiam pretiosis, si quæ sint, nec non bonis stabilibus, redditibus, fructibus, et proventibus, juribus, ac obventionibus quibuscumque, prout præceptoriæ commendatarii apostolica auctoritate deputati, et monasterium sancti Antonii de urbe illis hactenus gavisi sunt, juxta ipsius Ferdinandi regis vota, absque præstatione aliqua jurium præsentis causa unionis apostolicæ Sedi debitorum, ordini Constantiniano etiam pari auctoritate perpetuo itidem unimus, annectimus, et incorporamus, ita quod ejusdem Constantiniani ordinis nomine vera, realis, et corporalis possessio illius præceptoriæ, et prioratus hujusmodi, eorumque bonorum, et proventuum quemadmodum ambobus militaribus ordinibus concessum fuit, prout infra, nancisci queat, adimpletis tamen his oneribus, quæ commendatarii, et monasterium urbis subibant, eo excepto alendi ordinis professores, qui naturales dicti Ferdinandi regis subditi omnino desunt.

Similes pro monasteriis in ditione pontificia extantibus.

§. 34. Demum trium monasteriorum ejusdem ordinis sancti Antonii in ditionibus Nostris, unius videlicet Romæ, et alterius Avenione, ac postremi in loco de Valreas existentium dispositionem, quæ magis congrua erit propediem faciendam Nobis specialiter, et expresse reservantes, interim illa, eorumque regimen, et administrationem, bonaque omnia Sedis apostolicæ nomine Nos ipsi recipimus, et pro Nobis provide, ac opportune regi, et gubernari curabimus.

Clausulæ præservativæ, et salutares.

§. 35. Ipsas autem præsentes literas, et in eis contenta quæcumque nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ etiam ex eo, quod causæ, propter quas præmissa emanarunt, sufficienter adductæ, et verificatæ, vel quicumque circa præmissa interesse quomodolibet habentes, seu habere prætendentes ad id vocati, citati, et auditi non fuerint, aut ex alia quantumvis substantiali, et de necessitate exprimenda causa resultante defectu notari, impugnari, limitari, modificari, in jus, vel controversiam vocari, ad viam, et terminos juris reduci, aut adversus eas quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari nullatenus unquam posse, sed semper, et perpetuo firmas, validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et e converso ab illis, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum etiam inviolabiliter observari debere, neque illas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum generalibus revocationibus, limitationibus, suspensionibus, aliisque contrariis dispositionibus pro tempore factis, vel faciendis nunquam comprehendi, sed semper ab illis excipi, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 36. Sicque, et non alias per quoscumque judices ordinarios, et delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, vice-legatos, dictæque Sedis nuntios, sublata eis quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, judicari, et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

Monitum ad episcopos, archiepiscopos, aliosque ecclesiastica jurisdictione pollentes.

§. 37. Quocirca venerabilibus fratribus Nostris archiepiscopis, et episcopis, nec non dilectis filiis abbatibus jurisdictione quasi episcopali pollentibus, in quorum diœcesibus, ac respective territoriis monasteria, ecclesiæ, ac bona quæcumque ordinis sancti Antonii, ut præfertur, uniti sita sunt, per apostolica scripta injungimus, et præcipimus, ut ipsi tamquam a Nobis, et apostolica Sede specialiter delegati easdem præsentes solemniter publicantes, Hierosolymitanum, nec non sanctorum Mauritii, et Lazari, itidemque Constantinianum enunciatos ordines, ac pro eis legitimos eorum procuratores in veram, realem, et actualem possessionem monasteriorum, ecclesiarum, et bonorum quorumcumque ordinis sancti Antonii, ut præfertur, consistentium juxta præsentium literarum Nostrarum seriem immittant, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate Nostra easdem præsentes, et in eis contenta quæcumque ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari; contradictores quoslibet cujuscumque status, ordinis, vel præeminentiæ fuerint per sententias, censuras, et pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, et pœnas ipsas etiam iterate aggravando, invocatoque pariter ad hoc, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio.

Fides habenda transumptis.

§. 38. Non obstantibus Nostris, et cancellariæ apostolicæ regulis de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, et de exprimendo valore bonorum ecclesiasticorum tam uniendorum, quam illius, cui uniri petitur, et quatenus opus sit, de jure quæsito non tollendo, ac Lateranensis concilij postremo celebrati uniones perpetuas nisi in casibus à jure permissis fieri prohibentis, aliisque tam in synodalibus, quam in provincialibus, universalibus, generalibusque conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis sancti Antonii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis eidem ordini sancti Antonii, ejusque superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, et irritantibus, ac aliis decretis in genere, vel in specie etiam forsan in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut etiam aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent eisdem præsentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum tantum latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide, hac vice dumtaxat præsentium Nostrarum literarum serie derogamus contrariis quibuscumque.

§. 39. Volumus autem, quod earumdem præsentium transumptis etiam impressis charactere alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quæ iisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Derogatio contrariorum.

§. 40. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, unionis, annexionis, incorporationis, subjectionis, concessionis, statuti, præcepti, mandati, suppressionis, extinctionis, reductionis, immutationis, exemptionis, liberationis, reservationis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo septuagesimo sexto, sextodecimo kalendas januarii, pontificatus Nostri anno secundo.

Sanctio, pœnalis.

CXIX.

Dat. die 8 januarii 1777. Anno II.

Facultas episcopo Claromontensi supprimendi monasterium Cœlestinorum in sua diœcesi existens.

Venerabili episcopo Claromontensi

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Memorantur literæ Clementis XIV, quibus data est facultas episcopis regni Galliarum visitandi domos monachorum Coelestinorum et consulendi ut regularis disciplina reintegraretur

§. 1. Alias cum pro parte claræ memoriæ Ludovici XV, dum vixit Francorum regis christianissimi felicis recordationis Clementi pp. XIV prædecessori Nostro delatum fuisset, in domibus monachorum Cœlestinorum existentibus in regno Galliarum regularem disciplinam ita esse collapsam, ut nihil ex iis ornamenti, et utilitatis, plurimum vero detrimenti, offensionis, et scandali in christianum populum redundaret, omnemque reformationis spem sublatam fuisse, pro pastoralis officii debito, piissimis ejusdem Ludovici votis annuendo, facultatem venerabilibus fratribus archiepiscopis, et episcopis regni Galliarum concessit ad annum duraturam, ut tamquam ejus, et apostolicæ Sedis delegati domus monachorum Cœlestinorum in suis respective diœcesibus existentes visitarent, ac sedulo inquirerent, si qui pravi usus, damnandæque consuetudines irrepsissent, et opportuna reremedia adhiberent; quod si vacuum prorsus, et irritum compertum fuisset quodcumque instaurandæ regularis disciplinæ studium, et conatum, modum excogitarent, ac viam proponerent, qua eidem Clementi prædecessori communicata, illud de prædictis monasteriis, vel omnibus, vel aliquibus, deque ejusdem ordinis personis decerni posset, quod divino cultui, Christifidelium bono, ac eorumdem monachorum conscientiæ, et tranquillitati magis profuturum videretur, ac alias prout in ipsius Clementis prædecessoris desuper in simili forma Brevis die prima martii 1773 expeditis literis, quarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Curæ hujusmodi in irritum cesserunt in dioecesi Claromontensi, et ideo monasterium in ea existens supprimitur.

§. 2. Nuper autem Nobis exposuisti, quod earumdem literarum vigore ea, qua par erat, diligentia visitatio peracta fuit monasterii de Vichy vulgo nuncupati ejusdem ordinis in ista Claromontensi diœcesi existentis, et quamvis omne studium, omnemque curam adhibuisses, ut quatuor monachos totam ejus familiam constituentes, et juxta præscripta in capitulo generali ejusdem ordinis in dicti monasterii filios declaratos ad regularis disciplinæ observantiam revocares, omnia tamen in irritum cesserunt, quippe quia ipsi monachi monitis, consiliisque hujusmodi dicti potius monasterii suppressionem præferendam esse duxerunt. Serio itaque perpensis omnibus in visitatione hujusmodi tam laudabiliter, ac prudenter gestis, consideratisque universis rerum, et personarum circumstantiis, cum spes omnis deficiat penitus restituendi in eodem monasterio regularem vivendi rationem; hinc est, quod Non fraternitati tuæ facultatem, atque potestatem monasterium prædictum monachorum Cœlestinorum de Vichy nuncupatum diœcesis Claromontensis supprimendi, ac omnem regularem ejus qualitatem perpetuo in eo extinguendi, auctoritate apostolica tenore præsentium tribuimus, et impertimur.

Monasterii bona in alios pios usus erogantur

§. 3. Tibique, ut bona omnia tam stabilia, quam mobilia, semoventia, jura, et actiones ad monasterium hujusmodi quomodolibet spectantia, et pertinentia cujusvis generis, et speciei existant, in alios, pios tamen, usus assignare, et applicare libere, et licite possis, et valeas auctoritate, et tenore prædictis concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Quod vero attinet ad personas quatuor monachorum integram familiam ejusdem monasterii constituentium, ut ipsis facultatem permanendi, quoad vixerint, extra claustra sui ordinis in habitu presbyterorum sæcularium, et sub obedientia diœcesani loci, in quo morari contigerit, tribuere possis, et valeas, pari auctoritate, et tenore impertimur. Volumus autem, quod ex fructibus, redditibus, et proventibus ejusdem monasterii, tam illius priori quam cæteris monachis predictis ea annua assignetur portio, quoad vixerint duratura, quæ tuo arbitrio, et prudentia sufficiens, atque congrua judicabitur.

Consulitur personis monachorum, eorumque alimoniis.

§. 5. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffra-

gari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales de latere legatos, et apostolicæ Sedis nuntios judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, et ordinis ac monasterii hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die octava januarii millesimo septingentesimo septuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno secundo.

CXX.

Erectio conservatorii, seu reclusorii pro otiosis in civitate Fulginatensi.

Dat. die 13 januarii 1777. Anno II.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium

§. 1. Paternum studium, quo civitatem Nostram Fulginatensem, ejusque diœcesim, et incolas universos, pro imposito Nobis desuper supremi principis officio, prosequimur, merito postulat, atque exigit, ut in iis, quæ communem eorum utilitatem, quietem, et tranquillitatem respiciunt, apostolicæ auctoritatis Nostræ partes desiderari minime patiamur.

Memorantur incomoda, quæ manant ab otio et socordia eorum qui vagam agentes vitam, eleemosinas colligunt absque necessitate.

§. 2. Cum itaque sicut nuper accepimus, in civitate prædicta admodum excreverit numerus eorum, qui licet, vel adolescentes sint, vel in florenti ætate constituti reperiantur, nihilominus propriis eorum laboribus victum sibi quærere negligunt, vagamque otio, ac socordia plenam omnino vitam ducunt, et infestantes agros omnes, ac fructus villicis surripiendo, civibus quoque assiduis eorum quærimoniis, importunisque petitionibus molestissimi evadunt, aliaque insuper ex hac vivendi ratione absurda, et inconvenientia obveniunt, non sine publicæ tranquillitatis offensione. Præmissis omnibus etiam accedit maximum damnum, quod hinc infertur tam agrorum culturæ, quam aliarum artium operibus: quandoquidem pro hisce omnibus exercendis, peragendisque, paulatim deficiunt ii, qui suos labores in id impendere velint, ac quamplurimi juvenes benevolentes, ac dubio procul ad ea apti, et idonei, dum vivendi modum ex largitionibus, et eleemosynis, quæ a piis locis distribuuntur, sibi comparare student, vagam, et otiosam vivendi rationem amplectuntur, suosque labores in opera eis, sive a villicis, sive a mercatoribus proposita conferre omnino recusant.

Monasterium ss. Trinitatis nuncupatum erigitur in loco in quo sint claudendi, et custodiendi otiose viventes

§. 3. His itaque malis opportunum remedium adhibere, et quorumcumque otiose vivere eligentium dissidiæ occurrere, ac quieti, tranquillitati, et salubriori ejusdem civitatis regimini paterna charitate providere cupientes, motu proprio, atque ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, in eadem civitate Fulginatensi monasterium sanctissimæ Trinitatis nuncupatum, et

ab illius monialibus derelictum, pro conservatorio, hospitio, seu loco, in quo adolescentes, aliique otiose viventes, et vagantes hujusmodi claudendi, et custodiendi sint, ad hoc ut in earum artium exercitationibus, quæ juxta cujusque idoneitatem magis aptæ, atque congruentes comperiantur, suasque operas impendant, perpetuo assignamus, constituimus, et deputamus, et pro ejusdem conservatorii, hospitii, seu loci, sic a Nobis assignati, constituti, et deputati felici, ac prospero regimine, et gubernio, leges in sequentibus capitulis contentas præscribimus, atque statuimus, simulque pro illius conservatione, ac perpetua manutentione fructus, redditus, aliaque in eisdem capitulis contenta, et expressa perpetuo pariter eidem conservatorio unimus, annectimus, et applicamus juxta disposita, ac ordinata in eisdem capitulis, quorum tenor est, qui sequitur videlicet.

De protectore conservatorii.

§. 4. 1.° Che monsignor tesorier generale di Roma debba essere il protettore immediato di questo nuovo stabilimento, come incaricato specialmente da Nostro Signore ad invigilare, che l'esecuzione ne sia diretta a quello scopo di vero ben pubblico, a cui tendono le sue paterne mire.

Sodalitium s. Martini præponitur administrationi, et gubernio reclusorii.

§. 5. 2.° Che la compagnia di san Martino di Fuligno, il cui istituto è di sollevare i poveri, debba assumere la soprintendenza di tutti gli affari di questo nuovo reclusorio, e debba con previa approvazione del predetto monsignor tesoriere generale, eleggere un rettore zelante, e capace per confidargli la direzione economica di detto luogo pio.

De congregatione constituenda, et de negociis pertractandis.

§. 6. 3.° Che i dodici cavalieri confratri di detta compagnia di san Martino il dì 31 dicembre d'ogni anno debbano adunarsi, ed eleggere fra di loro tre deputati, i quali insieme col priore di detta compagnia, e col predetto rettore del reclusorio formino una specie di congregazione, o consulta, da cui debbano risolversi, e decidersi tutti gli affari di detto luogo pio, senza altra dipendenza, che dal predetto monsignor tesorier generale di Roma.

De præsule, et munere ejus

§. 7. 4.° Che il capo, e presidente di detta deputazione debba essere il priore pro tempore della prenominata compagnia di san Martino, e che il rettore del reclusorio sia obbligato ad eseguire tutti quei regolamenti, e provvedimenti, che saranno fissati dalla detta deputazione.

De jurisdictione episcopi.

§. 8. 5.° Che in quanto al morale e tutto ciò, che riguarda lo spirituale di detto luogo pio, debba appartenere la cura al vescovo diocesano, in conformità della disposizione del sagrosanto concilio di Trento ai cap. 8. 9. della sess. 22. de reformat.

De modo procedendi in pertractandis negociis ad pium locum pertinentibus.

§. 9. 6.° Che nei casi di differenza di sentimento fra i componenti la detta deputazione, debba eseguirsi quello, che avrà la pluralità de' voti; ma qualora si tratti di risoluzioni di molta importanza, e che due componenti della deputazione siano contrarj alla risoluzione, che gli altri tre vogliono prendere, in tal caso il priore debba fare adunare tutto il corpo della compagnia, per farla passare a partito, e che in tal caso la proposizione non debba intendersi approvata per l'esecuzione, se non quando sarà vinta con due terzi di voti favorevoli.

De onere potestatis laicæ præbendi auxilium pro exequendis carcerationibus otiosorum, et effrænium.

§. 10. 7.° Che il tribunale di Fuligno debba dare man forte alla prenominata deputazione per far catturare quei poveri oziosi, vagabondi, e discoli, che la medesima deputazione, dopo aver prese le opportune informazioni, crederà di dover far rinserrare in detto reclusorio.

De onere reclusorii recipiendi condemnatos, et filios, a parentibus exhibitos.

§. 11. 8.° Che il reclusorio sia obbligato a ricevere quei discoli, che saranno condannati dal tribunale per doversi essere rinchiusi, come ancora quei ragazzi di cattiva vita, che dai loro parenti vorranno castigarsi per giusti motivi, dei quai la deputazione dovrà riscontrare la verità, e sussistenza con un diligente esame, ed inquisizione per prevenire, ed impedire, che alcun ragazzo sia rinchiuso per secondo fine d'odio, o d'interesse.

De mercede a parentibus solvenda.

§. 12. 9.° Che i parenti di tali ragazzi discoli, che vi si rinchiuderanno, siano tenuti a pagare al reclusorio un mezzo pavolo il giorno per ogni discolo per tutto il tempo, che vi si terrà, come si pratica a san Michele di Roma, e che per parenti di tali discoli s'intendano il padre, e madre, ed in mancanza di esso i fratelli, e cugini fino al terzo grado inclusivamente, affinchè ognuno abbia qualche stimolo d'invigilare alla buona condotta dei suoi consanguinei.

De relaxatione resipiscentium, aliorumque condemnatorum.

§. 13. 10.° Che sia in arbitrio della deputazione il rilasciare in libertà quei forzati condannati dal tribunale, che avranno finito il tempo della loro condanna, e gli altri, che avranno dato saggio, e sicuri indizj del loro penti-

mento, e sincera emendazione, dovendo esser cura della deputazione di non lasciare uscire alcun discolo, se prima i di lui parenti più prossimi non si saranno obbligati a rispondere della sua buona condotta in avvenire, o se prima la medesima deputazione non abbia trovato il modo d'impiegarlo utilmente, e di assicurarsi in qualche modo della sua miglior condotta.

De operibus injungendis otiosis in reclusorio retentis.

§. 14. 11.° Che la deputazione, e rettore di detto reclusorio debbano adoperare ogni mezzo per procurare, che detti forzati, per quanto è possibile, guadagnino col loro lavoro tanto da poter supplire alla spesa del loro scarso vitto, e vestito, al qual effetto detta compagnia di san Martino il dì 31. dicembre di ogni anno debba eleggere due dei più onesti, ed intelligenti mercanti di Fuligno, i quali debbano aver luogo, e voto nelle adunanze della deputazione come consiglieri sopracchiamati, allorchè si tratterà di regolare, e fissare i lavori più utili, e vantaggiosi al reclusorio, e alla città, e che detti mercanti debbano assistere, ed ajutare il rettore pro tempore non tanto per la buona direzione delle respettive lavorazioni, quanto ancora per lo spaccio pronto, e più vantaggioso delle robbe lavorate nel reclusorio, fra le quali dovranno prescegliersi, e farsi eseguire con maggiore impegno quelle di lana, lino, canepa, e di altri prodotti di generi primi, che nascono nello stato Pontificio, e che possono servire al consumo, ed uso del basso popolo.

De annuali statu activo, et passivo reclusorii efformando.

§. 15. 12.° Che in fine dell' anno il rettore del reclusorio debba presentare alla deputazione un ristretto dimostrativo delle spese fatte, e delle robbe lavorate nel reclusorio, per poterne rilevare il vero stato attivo, e passivo del luogo pio, e trovando la deputazione, che l'amministrazione cammini a dovere, debba in tal caso accordarne il saldo al rettore, dopo averne fatto rivedere i conti da qualche onesto computista.

De redditione rationis quolibet anno exhibenda.

§. 16. 13.° Che la medesima deputazione in fine di ogni anno debba trasmettere a monsignor tesorier generale di Roma una esatta dimostrazione dello stato di detto reclusorio, con rendergli conto degli inconvenienti accaduti, e degli ostacoli, che s'incontrano, affinchè possa renderne conto alla santità di Nostro Signore, ed implorare dalla sua clemenza quei provvedimenti, che dipendono dalla sua autorità sovrana.

Moniales ss. Trinitatis dimittentes monasterium correspectivam obtinent debiti remissionem.

§. 14. 14.° Vuole Nostro Signore, che questo nuovo reclusorio si apra, e si stabilisca nel monastero abbandonato dalle monache della santissima Trinità, e che questa fabbrica abbandonata insieme col suo orto, e casetta circondata di muro appartenga in proprietà in avvenire al medesimo reclusorio, ed in correspettività della cessione gratuita, che dovranno fare le prenominate monache di detta fabbrica, la Santità sua si degna di assolverle dall'obbligo, che hanno di reintegrare l' erario del loro monastero del debito di circa scudi duemila fatto per la nuova fabbrica della chiesa.

Consulitur expensis necessariis pro manutentione reclusorii.

§. 18. 15.° Comanda inoltre la Beatitudine sua, che per stabilire, e mantenere questo nuovo reclusorio gli si assegnino le seguenti annue entrate, cioè

Eidem assignantur scuta centum numeranda a sodalitio s. Martini.

§. 19. 16.° Che il sopravanzo annuo, che suole avere ogni anno la compagnia di san Martino di scudi cento in circa, e che sino al presente è stata solita di far distribuire in elemosine, debba pagarsi liberamente, e senza alcuna riserva in fine di ogni anno alla cassa del nuovo reclusorio.

Item dotes quatuor distribui solitæ a dicta confraternitate.

§. 20. 17.° Che delle quattro doti di scudi settanta l'una, che è solita la suddetta compagnia di san Martino di far distribuire ogni anno, si debbano distribuirne in avvenire sole tre, e una in somma di scudi settanta debba pagarsi liberamente ogni anno alla cassa di detto reclusorio.

Aliæ æque dotes quinque ex legato Angeletti.

§. 21. 18.° Che parimente delle cinque doti, che distribuisce ogni anno la Madonna degli Orti di Roma per legato del fu Angeletti, che ne lasciò la nomina ad Angelo Becchelli, debbano in avvenire distribuirsene sole tre, e che le due altre in somma di scudi trentatre, e bajocchi sessanta fra ambedue, debbano pagarsi alla cassa del medesimo reclusorio.

Nec non redditum legati pii Barnabò.

§. 22. 19.° Che l'entrata annua, che ha la compagnia di s. Martino per legato del quondam Matteo Barnabò in somma di scudi ottanta in circa per farne cumulo a fine di dotare una zitella nobile, che voglia monacarsi nel monastero delle Cappuccine, dette di santa Lucia, si eroghi in avvenire per la somma di scudi cinquanta da pagarsi alla cassa del reclusorio, e per il rimanente per elemosina a dette povere Cappuccine.

Item scuta mille quingentum de proprietate montis Pietatis

§. 23. 20.° Che li scudi mille cinquecento, che il sagro monte della Pietà di Fuligno ha imprestati alla fabbrica della cattedrale, non meno, che li scudi

tremila cinquecento, che il medesimo monte ha imprestati alla borsa comunitativa, debbano essere in avvenire di piena proprietà del nuovo reclusorio, il quale dovrà ritirarne ogni anno i frutti correnti in somma di scudi cento, ed a suo tempo dovrà incassare ancora i capitali, quando questi saranno restituiti dai respettivi due debitori per impiegarli a un frutto più vantaggioso a favor del medesimo reclusorio.

Item scuta centum octuaginta ex legato pio Turchi.

§. 24. 21.° Che del legato del fu prior Turchi di annui scudi cento ottanta, i quali attualmente si erogano per scudi quaranta in pane ai poveri, per scudi quindici in elemosina al conservatorio delle Convertite, per scudi quindici al conservatorio delle Orfane, per scudi 15. in elemosine ad arbitrio del vescovo, e per scudi novantacinque nella fabbrica del duomo, si continuino a pagare li soliti scudi trenta ai due conservatorj delle Convertite, e delle Orfane, e si paghino alla cassa del nuovo reclusorio senza dilazione gli annui scudi cinquantacinque fin qui erogati nel pane de' poveri, e nelle elemosine ad arbitrio del vescovo, e quando sarà terminata la fabbrica del duomo, si paghino parimenti alla cassa del medesimo reclusorio ancora gli altri scudi novantacinque annui, che attualmente si erogano in detta fabbrica del duomo.

Item scuta viginti quolibet anno elargienda in pauperes ab hospitali s. Joannis.

§. 25. 22.° Che li scudi venti annui, che l'ospedale di s. Giovanni degl'infermi distribuisce ogni anno in tanto pane ai poveri, si paghino in avvenire liberamente alla predetta cassa del nuovo reclusorio.

Item scuta quinquaginta a sodalitio duodecim presbyterorum numeranda.

§. 26. 23.° Che la compagnia dei dodici preti di Foligno, che ha un annuo assegnamento di scudi duecento dodici in circa col solo obbligo di cantare due messe al mese, debba pagare ogni anno alla cassa del nuovo reclusorio, a titolo di pensione, scudi cinquanta, e ciò sino a tanto, che sarà riconosciuto da monsignor tesoriere generale, che il medesimo reclusorio possa aver di bisogno di detta pensione.

Item redditus congrogationis suppressæ, et nuncupatæ » delle Piaghe »

§. 27. 24.° Che resti soppressa la compagnia de' dodici preti detta delle Piaghe, e che la sua entrata annua, ascendente a circa scudi sessanta, appartenga in avvenire in piena proprietà al nuovo reclusorio, a cui incomberà il soddisfare agli obblighi, o legati pii, che vi si trovano imposti.

Item scuta mille ex legato Morselli.

§. 28. 25.° Che delli scudi duemila lasciati per legato di Carl' Antonio Morselli alla chiesa di s. Maria infra Portas per erogarsene scudi mille nell'erezione di un canonicato, o benefizio in detta chiesa, e scudi mille in distribuzione di elemosine ai canonici di detta chiesa coll' obbligo di una messa ogni domenica, questi ultimi mille scudi destinati per elemosine, si assegnino al nuovo reclusorio per doverli consegnare dopo la morte di Francesca Morselli moglie del testatore, coll' obbligo a detto reclusorio di far celebrare la messa ogni domenica nel reclusorio medesimo a mente del testatore.

Demum medicamenta suppeditanda a sodalitio s. Martini.

§. 29. 26.° Che la compagnia di san Martino, che ha per istituto l'obbligo di dare tutti i medicinali ai poveri infermi della città di Foligno, debba parimenti somministrare, a tenore del medesimo suo istituto, gli occorrenti medicinali ai poveri infermi del nuovo reclusorio.

Supprimitur quælibet eleemosynarum collectio, quæ pro reclusorio facta non sit.

§. 30. 27.° Comanda finalmente nostro Signore, che siano proibite onninamente nella diocesi di Foligno tutte le questue, alla riserva di quelle del nuovo reclusorio, del conservatorio delle Orfane, del conservatorio delle Convertite, del monastero delle Cappuccine, e dei conventi de' Cappuccini, de' minori Osservanti, e Conventuali, e di quelle, che sono solite farsi dalle confraternite nell' ottavario de' morti in suffragio delle anime del purgatorio,

Monitum ad superiores reclusorii.

§. 31. Confida la Santità sua nel zelo, e nella pietà dei soggetti incaricati dell' esecuzione del presente piano, che essi vorranno darsi tutta la maggior premura per la felice riuscita di un così salutare, e necessario stabilimento, accordando la facoltà alla predetta deputazione di umiliare alla Beatitudine sua per il canale del prenominato monsignor tesorier generale quelle ulteriori proposizioni, e provvedimenti, che crederanno opportuni per fare il maggior bene, e particolarmente per fissare stabilmente un savio regolamento, che tenda a sollevare i veri poveri, e a mettere in attività le braccia oziose, e disoccupate per fare prosperare maggiormente l'agricoltura, le arti, e manifatture.

Motus - proprius super observantia constitutionum editarum pro gubernio conservatorii, et hospitii.

§. 32. Præinsertas igitur leges, et ordinationes a Nobis pro recto, et felici gubernio, ac prospera directione conservatorii, hospitii, seu loci hujusmodi præscriptas, et constitutas, nec non fructuum, reddituum, ac bonorum uniones, et applicationes pro illius conservatione, et manutentione per præsentes volitas, et ordinatas, aliaque in eisdem capitulis contenta, et expressa ab omnibus, et quibuscumque cujusvis status, gradus, et conditionis, ac dignitatis exi-

stant, semper, ac perpetuo observandas, et exequendas esse motu, scientia, ac potestatis plenitudine paribus statuimus, et mandamus.

Clausulæ salutares.

§. 32. Decernentes easdem præsentes literas, et omnia in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod quicumque in præmissis quomodolibet jus, vel interesse habentes iisdem præmissis non consenserint, nec ab ea vocati, aut auditi fuerint, seu ex alia quavis causa, colore, ac praetextu ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aliove quolibet etiam magno, et substantiali defectu notari, impugnari, et in controversiam revocari, nullatenus posse, sed semper, et perpetuo validas, firmas, et efficaces existere, ac fore; suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere debere.

Decretum irritans.

§. 33. Sicque, et non aliter per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 34. Non obstantibus præmissis, ac quorumcumque testatorum, fundatorum, et piorum legatorum etiam ultimis voluntatibus, quas quoad præmissa sufficienter, et expresse commutamus, et quatenus opus sit Nostra, et cancellariæ apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque afficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut quæcumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso exprimerentur, et insererentur, iisdem præsentibus pro plene, ac sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die decima tertia januarii millesimo septingentesimo septuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS VI.

ANNO TERTIO

CXXI.

Dat. die 26 februarii 1777. Anno III.

Indultum pro rege Christianissimo nominandi ad canonicatus quatuor collegiatarum in Belgio existentium.

Pius episcopus

servus servorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Cum præcipue sibi curæ id fere semper esse duxerit Romanus pontifex, ut in summa sua potestate propria quidem jura sarta tectaque servaret, simulque gratias, et favores, qua par esset prudentia, et liberalitate impertiret; ideo Nos quamvis immerentes ad beati Petri cathedram evecti prædecessorum Nostrorum inhærentes vestigiis, supremis principibus de catholica religione, Ecclesiæque juribus tutandis benemerentibus ita lubenter morem gerere solemus, ut ad eos novis ornandos privilegiis juxta Nobis oblatas opportunitates nihil omittamus.

Præpositi quatuor collegiatarum sibi jus asserebant nominandi canonicos, quod sustulit Galliarum rex.

§. 2. Alias ad Nos delatum fuit, quod cum præpositi quatuor collegiatarum ecclesiarum in Belgio existentium, nimirum de Lille, de Seclin, de Cassel, et de Douais prærogativa juris conferendi earum ecclesiarum canonicatus se se unice gaudere præsumpserint, quibusvis exclusis reservationibus, et assiduis propterea, gravibusque ii, quibus apostolica Sedes illarum ecclesiarum canonicatus in octo anni mensibus sibi reservatis contulerat, obnoxii fuerint oppositionibus, quæ literarum apostolicarum executioni moram intulere, hisce malis, et ecclesiasticarum personarum solicitudinibus, et incommodis jam cl. mem. Ludovicus, tunc in humanis agens Galliarum rex christianissimus regiam suam adhibens auctoritatem, ut jus a præpositis sibi ipsis attributum compesceretur, vi specialis decreti sui consilii status die xxv. martii anni Domini MDCCLXXIV. editi interdixit, ne redditus canonicatuum, et præbendarum, de quorum acquisitione contendebatur iis, qui collationes a præpositis reportaverant, concederentur, ac subinde carissimus in Christo filius Noster itidem Ludovicus Galliarum modernus rex christianissimus per simile decretum sub die xiv. septembris proxime evoluti, agnito exploratissimo jure apostolicæ Sedis canonicatus eosdem in octo anni mensibus vacantes conferendi, instantiam præpositorum eorumdem omnino rejecit.

Jus nominandi reservatum fuit favore sanctæ sedis pro octo mensibus, pro reliquis quatuor regi Galliarum tributum.

§. 3. Cumque Nobis nuper nomine ejusdem Ludovici regis a venerabili fratre Nostro Francisco Joachimo episcopo Albanensi Sanctæ RomanæEcclesiæ cardinale de Pierre de Bernis nuncupato enixae oblatæ fuerint preces, ut ipsum Ludovicum regem jure ad canonicatus eosdem in quatuor ex octo mensibus reservatis vacantes apostolicæ Sedi nominandi, ut infra, donaremus. Nos perpendentes eumdem Ludovicum regem avitarum regiarum virtutum æmulatorem eximium, filialem erga Nos, et apostolicam Sedem reverentiam profiteri, ut ipse in iis quoque regionibus habeat unde ecclesiasticis, benemeritisque personis se munificum exhibeat, quam lubenter paterno, quo eum colimus amore ipsius votis obsecundare studentes, firmo remanente jure Nobis, et Romano pontifici pro tempore existenti competente, canonicatus, et præbendas earumdem quatuor collegiatarum ecclesiarum in octo anni mensibus, nimirum januarii, februarii, aprilis, maii, julii, augusti, octobris, et novembris ex personis illos obtinentium pro tempore vacantes conferendi eidem Ludovico regi, et successoribus suis Galliarum regibus christianissimis jus Nobis, et pro tempore existenti Romano pontifici successoribus Nostris nominandi, et præsentandi personas ecclesiasticas probatæ famæ, et nominis, ac secundum sacros canones, et concilii Tridentini decreta idoneas ad earum-

dem quatuor collegiatarum ecclesiarum canonicatus, et præbendas, qui in mensibus februarii, maii, augusti, et novembris ex personis illos obtinentibus vacaverint, ita ut ab eodem Ludovico rege, ejusque successoribus pro tempore nominati apostolicas literas super præsentatione hujusmodi reportare, et expedire teneantur, quarum vigore in possessionem, et non alias immitti queant, quod quidem initium suum minime sumet, nisi postquam ii, qui ab apostolica Sede de hujusmodi canonicatibus antea fuere provisi similium canonicatuum, et præbendarum pacificam possessionem fuerint assecuti tenore præsentium perpetuis futuris temporibus specialiter, et expresse concedimus, assignamus, et impertimur, quemadmodum canonicatuum eorumdem in aliis quatuor, idest januarii, aprilis, julii, et octobris anni mensibus pro tempore vacaturorum liberam collationem, et dispositionem Nobis, et successoribus Nostris reservatam declaramus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes præsentes Nostras literas, et in eis contenta semper firmas, validas, et efficaces esse, ac fore; ita quoque jus nominandi, et præsentandi ad canonicatus, et præbendas dictarum quatuor collegiatarum ecclesiarum in quatuor enunciatis mensibus, ut præfertur, vacaturos, eidem Ludovico regi, ejusque successoribus competere debere, nec eidem juri nominandi, et præsentandi derogari posse, aut sub quacumque generali, vel speciali derogatione comprehendi, ipsas quoque literas subreptionis, vel obreptionis, aut cuivis alii defectui minime obnoxias esse, vel fore; sicque, et non alias per quoscumque judices quavis auctoritate fungentes, sublata eis quavis aliter judicandi facultate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus quibusvis apostolicis, et in universalibus, provincialibusque conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, et cancellariæ apostolicæ regulis, nec non earumdem quatuor collegiatarum ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis eisdem collegiatis ecclesiis, earumque capitulis, et personis quomodolibet concessis: quibus omnibus, et singulis eorum tenores pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præsentium effectum dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus contrariis quibuscumque.

Sanctio pœnalis.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostræ concessionis, assignationis, impertitionis, reservationis, declarationis, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo septuagesimo septimo, sexto kalendas martii, pontificatus Nostri anno tertio.

CXXII.

Dat. die 26. februarii 1777. Anno III.

Confirmatio statuti æditi a capitulo, et canonicis ecclesiæ cathedralis Legionensis, quo cavetur, ut in posterum matutinum, et laudes decantandæ sint hora quarta, et respective quinta post meridiem.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Ex statuto ecclesiæ matutinum, et laudes decantandæ erant media nocte, sed Paulus III. eas recitari permisit in occasu solis.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici cathedralis ecclesiæ Legionensis in regnis Hispaniarum, quod cum juxta antiquum morem matutinum, et laudes in cathedrali ecclesia prædicta hora duodecima noctis, seu media nocte decantari, sive recitari assuetum esset; mos, seu consuetudo hujusmodi anno 1536. cum assensu tunc existentis episcopi, atque confirmatione, et approbatione recolendæ memoriæ Pauli papæ III. prædecessoris Nostri rationabilibus ex causis moderationem obtinuit; simulque statutum fuit, ut in posterum matutinum, et laudes decantandæ, seu recitandæ essent in occasu solis quemadmodum usque ad integrum mensem septembris superioris anni reipsa dicti exponentes peregerunt.

Perdurantibus inordinationibus nova statuta fuerunt constituta, utrecitatio, et decantatio prædicta.

§. 2. Quamvis itaque hac attenta reformatione, et mutatione plures sublatæ fuissent inordinationes, quæ antea evenire solebant, nihilominus experientia deinceps compertum fuit,

fieri posset hora quarta post meridiem a mense octobr. usque ad Kalendas junii et hora quinta in reliquis mensibus.

quod hora, ut præmittitur, statuta, nempe occasus solis hyberno præsertim tempore propter nives, pluvias, et locum nimis rigidum dictæ cathedralis ecclesiæ, ac magnam illius distantiam a domibus canonicorum, non solum secum ferebat incommoditatem eorum, verum etiam periculosa reddebatur ob furta persæpe secuta, tenebris foventibus, tam in damnum canonicorum, quam in præjudicium ecclesiæ, cujus januæ usque ad finem recitationis horarum canonicarum hujusmodi apertæ detinebantur; quocirca exponentes prædicti congruum nimis, atque conveniens putarunt nunc constituere, ut futuris temporibus matutinum, et laudes decantandæ, seu recitandæ minime sint in occasu solis, sed in hora quarta post meridiem a mense octobris usque ad kalendas junii inclusive, et in reliquis quatuor mensibus in quinta hora itidem post meridiem, idque non solum ad hoc, ut procul absint inconvenientia, quæ propter nocturnum tempus, ut præmittitur, eveniebant, et ne sublatum, imo concessum videretur congruum temporis spatium post matutinum, et laudes decantatas, quo capitulares omnes levamen aliquod deambulando in propriæ valetudinis commodum, attenta etiam loci qualitate id exigente, possent obtinere.

Episcopus statutum laudavit

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, novum hoc statutum, quo præcedens moderatur, seu declaratur; ipsi exponentes venerabili fratri episcopo Legionensi præsentare curaverint, illiusque approbationem ab eo petierint, et idem episcopus, re bene perpensa, statutum prædictum utile, honestum, et necessarium agnoverit, illudque decreto ædito die secunda octobris superioris anni sua ordinaria auctoritate approbaverit, ea adjecta conditione, ut quam primum a Nobis, et ab hac sancta Sede ejus confirmatio petenda esset; hinc dicti exponentes statutum hujusmodi per Nos approbari, et confirmari plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Illud auctoritate apostolica confirmatur.

§. 4. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, prædictum statutum super præscriptione horæ, qua in posterum matutinum, et laudes in cathedrali ecclesia Legionensi decantandæ, seu recitandæ sint ab eisdem capitulo, et canonicis, ut præfertur, conditum, et ab eodem episcopo Legionensi suo decreto ædito die xiv novembris ut præmittitur approbatum, auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adicimus, atque in posterum statutum hujusmodi servandum, et exequendum esse auctoritate, et tenore prædictis volumus, et mandamus.

Clausula sublata, et decretum irritans

§. 5. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, atque ecclesiæ, et capituli hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima sexta februarii millesimo septingentesimo septuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 28 februarii 1777. Anno III.

CXXIII.

Facultas monialibus monasterii sancti Joannis Baptistæ ordinis Sancti Benedicti Sublaci Nullius dioecesis exeundi a dicto monasterio semel in anno.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam

Expositio precum porrectarum pontifici Clementi XIV. pro facultate exeundi e monasterio ad effectum visitandi ecclesiam sacriSpecus.

§. 1 Nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum modernarum abbatissæ, et monialium monasterii sancti Joannis Baptistæ ordinis Sancti Benedicti terræ Sublaci Nullius dioecesis in districtu urbis expositum Nobis fuit, quod ipsæ alias supplices porrexerunt preces felicis recordationis Clementi pp. XIV. prædecessori Nostro humiliter postulando facultatem semel in anno exeundi ab earum monasterio, ac recto tramite, comitatu ipsarum abbatis ordinarii, nec non confessarii, adeundi ecclesiam sacriSpecus nuncupatam per milliare circiter dissitam, ut inibi sacra communione refectæ consequi promererentur thesaurum indulgentiæ plenariæ omnibus ecclesiam prædictam visitantibus concessum; idem vero Clemens prædecessor hujusmodi precibus inclinatus die xix. julii 1771 sequens edidit rescriptum.

Tenor rescripti indulgentis facultatem ordinario juxta preces, et ad triennium.

§. 2 Sanctissimus, attentis expositis, remisit instantiam arbitrio ordinarii cum facultatibus necessariis, et opportunis pro una vice in anno ad triennium, adhibitis tamen omnibus cautelis in similibus circumstantiis servari solitis; contrariis non obstantibus quibuscumque, ac alias prout in libello supplici, et rescripto hujusmodi, quorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Confirmatio rescripti ad decennium.

§. 3. Postmodum vero, cum triennium prædictum brevi expiraturum esset, ipse Clemens prædecessor per suas in simili forma Brevis die III. aprilis 1773 expeditas literas prædictam facultatem semel in anno ab eodem monasterio exeundi, ac præfatam ecclesiam visitandi ad triennium concessam, ad decennium a fine dicti triennii computandum, servatis conditionibus, et cautelis in memorato rescripto contentis prorogavit, extendit, et ampliavit, ac alias prout in ipsius Clementis prædecessoris literis prædictis, quarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, hujusmodi facultatem primum ad triennium, postmodum ad decennium concessam, ut præfertur, dictæ exponentes ad aliud Nobis benevisum tempus sibi concedi plurimum desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Prorogatio facultatis in perpetuum, cum clausulis in priori rescripto contentis.

§. 4. Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, eisdem nunc, et pro tempore existentibus monialibus, aliisque in monasterio hujusmodi degentibus, ut ipsæ perpetuis futuris temporibus, de licentia pro tempore existentis abbatis commendatarii, et ordinarii loci, semel in anno a dicto monasterio egredi, et ad ecclesiam præfatam, servatis omnibus conditionibus, et cautelis in præfato rescripto expressis, atque contentis libere, et licite se conferre possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus apostolicis atque in universalibus provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Patrum sub annulo piscatoris die vicesima octava februarii millesimo septingentesimo septuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 5. martii 1777. Anno III.

CXXIV.

Confirmatio privilegiorum a Romanis pontificibus consulibus, et universitati mercatorum civitatis Anconitanæ concessorum super privativa jurisdictione dicti consulatus in causis = *di mercatura, di naufragi, di fallimenti* = eorumque ampliatio.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Erectio tribunalis Consulatus, cum suis privilegiis in causis inter mercatores, seu occasione mercaturæ exagitandis.

§. 1. Utilitati, quieti, ac commoditati mercatorum omnium, qui ad Anconitanum portum se contulissent, paterna charitate consulere cupientes Romani pontifices prædecessores Nostri, id unum præ cæteris enixe voluerunt, ut quæcumque lites, et controversiæ inter ipsos quomodolibet orituræ breviori, quo fieri posset tempore definirentur, et absolverentur, ut ita mercatoribus a litium ambagibus celeriter expeditis, commercium in publicum bonum magis magisque ibidem effloresceret, et augeretur. Hac itaque de re præ cæteris felicis recordationis Clemens pp. VIII. prædecessor Noster per suas sub plumbo anno incarnationis Dominicæ 1584. octavo idus martii expeditas literas apostolica auctoritate confirmavit, omnia privilegia in cognoscendis causis inter mercatores, sive alios quoscumque incolas, sive exteros occasione mercaturæ, et negociorum hujusmodi pro tempore motis tam in prima, quam in secunda instantiis intra civitatem ipsam Anconitanam, nec alibi examinandis, et terminandis per quoscumque præcedessores tunc suos, nunc Nostros quomodolibet concessa; atque insuper præcepit, ut controversiæ, et lites hujismodi quam citissime, et minimo dispendio terminentur; ibique propterea erexit, atque institutit tribunal Consulatus nuncupatum, injungendo, ut anno quolibet ex numero ibi existentium mercatorum tres consules eligerentur, quorum, vel duorum ex eis conjunctim procedentium judicio causæ omnes inter mercatores invicem, vel inter illos, et alias personas, aut etiam inter alias quascumque occasione mercaturæ quomodolibet tunc motæ, et in posterum movendæ summarie simpliciter, et de plano sine strepitu, et figura iudicii cognoscerentur, audirentur, et deciderentur, ac alias prout in ipsius Clementis prædecessoris literis prædictis, quarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, fusius continetur.

Declarationes circa privativam jurisdictionem.

§. 2. Postmodum vero idem Clemens prædecessor, ut procul abessent nonnullæ quæstiones, quæ quoad privativam jurisdictionem consulum hujusmodi usque tunc exordium habuerunt per suas in simili forma Brevis die tertia novembris MDXCV. expeditas literas statuit, declaravit, et voluit, non solum eos mercatores, qui merces suas, ut vocant, ad grossum, sed etiam qui fundos, et apothecas haberent, et exercerent ratione mercium suarum, etiam qui minutim, et dietim venderentur quoscumque eorum debitores, etiam cives Anconitanos, et quantumcumque privilegiatos, et exemptos, tam vigore instrumentorum, quam partitarum librorum mercantilium, aliarumque quarumcumque scripturarum coram dictis consulibus, et judicibus appellationis respective convenire, et vicissim coram iisdem ipsos mercatores conveniri debere, ipsosque consules, et judices appellationum causas quascumque ratione mercium tam quæ ad grossum, quam quæ ad minutum venderentur privative quoad alios quoscumque judices, et tribunalia, et episcopi, et gubernatoris Anconæ, ac gubernatoris etiam provinciæ Marchiæ Anconitanæ, ac tribunalis Rotæ Maceratensis, nec non etiam quoad Rotæ auditores, nec non Sanctæ Romanæ Ecclesiæ camerarium, ac thesaurarium generalem, et cameram apostolicam definiri, et terminari posse, et debere, atque rursus præscripsit, et inhibuit episcopis, et gubernatoribus, auditoribus, camerario, thesaurario, et cameræ apostolicæ præsidentibus, et clericis, aliisque judicibus quibuscumque, sub indignationis suæ, et excommunicationis latæ sententiæ eo ipso incurrendæ, nec non aliis arbitrio suo pœnis, ne de cætero in hujusmodi causis sese quoquo modo intromittere, neve inhibitiones, significationes, vel non gravetur, super hujusmodi causis concedere, vel alias quomodocumque judicium, et jurisdictionem dictorum consulum impedire, et retardare auderent, seu præsumerent, simulque eisdem consulibus amplissimam facultatem concessit, ut in causis hujusmodi quibusvis inhibitionibus, aut aliis impedimentis judicum, et tribunalium hujusmodi tunc concessis, et in posterum concedendis minime attentis procedere, et

terminare, atque quoscumque tam auctores, quam reos ad alios judices, vel tribunalia recurrentes per pecuniarias, aut alias eorum arbitrio imponendas, et applicandas pœnas ad eorum judicium trahere valerent.

Leges conditæ ad bonum regimen consulatus, et constitutio circa mercatores qui decocti evasissent

§. 3. Eademque de re claræ memoriæ Petrus, dum vixit, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis Aldobrandinus, tunc temporis ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ camerarius nonnullas edidit leges in diversis capitulis contentas, ac bonum regimen ejusdem consulatus respicientes, et ab eodem Clemente prædecessore confirmatas, in quibus præ cæteris constitutum fuit, ut in casu, quo mercatores in civitate Anconitana existentes decocti evasissent, statim libri negotiorum, et mercium, ad consulatum transferendi, ejusque cancellario consignandi essent una cum inventario omnium rerum, et mercium, quæ penes ipsos reperirentur; itemque eisdem consulibus facultatem indulsit capiendi opportunas provisiones quoad illas naves, quæ pericula naufragii subire possent, eis non solum auxilium, et subsidium suppeditando, verum etiam merces in illis contentas, quoad fieri posset, conservandi, ita tamen, ut ad solutionem expensarum, quæ in causam hanc erogatæ fuissent Consulatus tribunal cogere posset, ac alias prout in eisdem capitulis, quorum tenores præsentibus, pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur. Quas quidem prærogativas, facultates, et jurisdictiones, consulibus civitatis Anconitanæ, ut præfertur, concessas, ac privilegia prædicta alii deinde pontifices prædecessores Nostri, et præsertim recolendæ memoriæ Paulus V., Gregorius XV., Urbanus VIII., Clemens XII., et Benedictus XIV. confirmarunt, ac declararunt, et præ cæteris idem Gregorius XV, per suas literas in simili forma Brevis die XV. octobris 1622. expeditas præscripsit, et mandavit, ut eorumdem consulum tantum cura esset res naufragatas recuperandi, ac alias prout in eisdem literis ipsius Gregorii prædecessoris, quarum quoque tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Preces porrectæ pro confirmatione concessionem etiam adversus privilegiatos.

§. 4. Nuper autem exponi Nobis fecerunt dilecti filii moderni consules nomine etiam universitatis mercatorum civitatis prædictæ, quod ipsi, ut prærogativæ, facultates, jurisdictiones, ac privilegia eisdem consulibus pro tempore existentibus a memoratis Romanis pontificibus prædecessoribus Nostris concessa, et elargita in publicam commoditatem, ac quietem, atque in majus commercii incrementum subsistant, et serventur exactius, non solum per Nos quoque confirmari, et approbari, ac quatenus opus sit denuo concedi, sed etiam illa contra quoscumque privilegiatos, cujusvis tribunalis in causis mercaturam, naufragium, ac decoctorum mercatorum bona, et personas respicientibus, extendi, et ampliari plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor amplissimæ confirmationis, et extensionis ad omnes privilegiatos.

§. 5. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audita super præmissis relatione, et voto dilecti filii Nostri Joannis Octavii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis Bufalini nuncupati ecclesiarum Anconitanæ, et Humanæ ex concessione, et dispensatione apostolica præsulis, omnia, et singula privilegia consulatus ejusdem civitatis Anconitanæ super privativa cognitione causarum = *di mercatura*, *di naufragj*, *di fallimenti* = vulgo nuncupatarum a memoratis prædecessoribus Nostris Romanis pontificibus concessa, indulta, ac elargita auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium confirmamus, et approbamus, eisque perpetuæ, ac inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, atque insuper privilegia hujusmodi ampliando, volumus, et mandamus, ut Consulatus Anconæ in causis prædictis sua privativa jurisdictione utatur contra quoscumque quovis privilegio suffultos, ac etiam si agatur de iis, qui literas patentes obtineant, quique patentati vulgo nuncupantur, inquisitionis adversus hæreticam pravitatem, seu alterius cujuscumque tribunalis, ac de omnibus aliis speciali mentione dignis, quos in præsentibus pro expressis, ac specificatis haberi volumus, et mandamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes ipsas præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque ple-

narios, et integros effectus sortiri, et obtinere, illisque, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomdolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ sanctum Petrum sub annulo piscatoris die quinta martii millesimo septingentesimo septuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno tertio.

CXXV.

Dat. die 14 martii 1777. Anno III.

Confirmatio unius capituli addendi statuto universitatis Figulorum de urbe.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Ad pastorale fastigium meritis licet imparibus evecti illa, quæ pro felici, prosperoque artium, ac universitatum artium almæ urbis Nostræ, cujus commodis peculiari paternæ charitatis affectu studemus, regimine, atque gubernio provide constituta, et ordinata esse noscuntur, ut firma semper, ac inviolata persistant, apostolici muniminis præsidio, cum id a Nobis petitur, libenter constabilimus.

Expositio precum porrectarum

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii officiales, et homines universitatis Figulorum ejusdem urbis, simulque administratores societatis sub titulo, seu invocatione sanctissimi Sacramenti canonice, ut asseritur, erectæ in ecclesiam sanctæ Cæciliæ Transtyberim urbis prædictæ, quod alias anno nempe 1761 ejusdem societatis, et universitatis nomine supplices porrectæ fuerunt preces felicis recordationis Clementi pp. XIII. pro superaddendis nonnullis capitulis in statutis universitatis hujusmodi, ac inter cætera illud, quod in ordine est, vicesimum secundum, quo ad aperitionem tam integrarum fornacium, quam etiam medietatis tantum earum, in quo cavebatur, ut in primo casu persolvenda essent scuta viginti quinque monetæ, et scuta tantum duodecim cum dimidio in secundo præstari deberent. Idem vero Clemens prædecessor sibi porrectas preces hujusmodi remisit claræ memoriæ Camillo, dum vixit, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali Paulutio tunc temporis societatis, et universitatis hujusmodi protectori, qui prædictum capitulum vicesimum secundum in hunc, qui sequitur modum confecit, et exaravit, videlicet.

CAPITOLO XXII.

Delle fornaci, che si mettono di nuovo

Tenor capituli addendi ad statutum.

§. 3. Erigendosi, o fabbricandosi fornaci di nuovo tanto di rosso, che di bianco, il padrone, ossia erettore, e fondatore della nuova fornace sarà te-

nuto a pagare alla nostra chiesa scudi 25, e se la fornace sarà piccola, o di bagattelle, da riconoscersi come sopra dai guardiani, e camerlengo, dovrà pagare solo scudi dodici e baj. 50 oltre le tasse sopra stabilite per ogni cottura. A simile pagamento di scudi 25, e respettivamente di sc. 12:50 dovranno esser soggetti anche quelli, che volessero succedere, e sottoentrare all'esercizio di qualche bottega, e fornace, di cui fosse mancato, o morto il padrone, purchè questi non fossero figli di esso antico padrone, i quali in tal caso, continuando nell'arte in luogo del loro padre, e continuando perciò nel dominio della stessa fornace, non dovranno considerarsi come nuovi padroni per l'effetto suddetto, nè come tali obbligarsi al detto pagamento; così pure allo stesso pagamento dovrà esser tenuto anche qualunque figlio di padrone, il quale non dimettendo l'antica fabbrica, ossia fornace del padre, voglia aprirne altra nuova per rapporto alla quale dovrà considerarsi come un nuovo padrone. e perciò essere obbligato al detto pagamento.

Postulatur ipsius capituli confirmatio.

§. 4. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, prædictæ universitatis, seu societatis nomine, deinde in judicium vocati fuerint nonnulli artis hujusmodi professores, ad hoc, ut persolverent summam in dicto capitulo præscriptam in casu aperitionis fornacium, seu successionis in illis, acriterque talis solutio in controversiam revocare adnixi sint; hinc dicti exponentes ut procul absint litium anfractus, earumque impensæ, memoratum capitulum vicesimum secundum, quo firmius subsistat, et ab omnibus dictæ artis professoribus, vulgo *vasellari, e majolicari di arte grossa, e sottile* nuncupatis servetur exactius, illud per Nos approbari, et confirmari plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis sibi opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Preces remittuntur arbitrio eminentissimi protectoris cum omnibus facultatibus.

§. 5. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audita super præmissis relatione, et voto venerabilis fratris Henrici episcopi Tuscalani Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis ducis Eboracensis nuncupati ejusdem societatis apud Nos, et Sedem apostolicam protectoris, præinsertum capitulum vicesimum secundum cum omnibus, et singulis in eo contentis auctoritate apostolica tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 6. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac urbis, et universitatis hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima quarta martii millesimo septingentesimo septuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 24 martii 1777. Anno III.

CXXVI.

Facultas fratribus ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmelo missionariis in insulis Americanis dominio regis christianissimi subjectis dispensandi cum nigris neophitis illarum partium in quocumque gradu affinitatis.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Ratio, tenor, et conditiones, ac reservationes indultæ facultatis.

§. 1. Ut dilecti filii fratres ordinis Beatæ Mariæ Virginis de monte Carmelo missionarii degentes in insulis Americanis Guadalupæ, Mariæ Galantæ, sancti Dominici, sancti Christophori, et adjacentibus dominio in Christo filii Nostri Ludovici Francorum regis christianissimi subjectis, a suis superioribus deputati, injuncta sibi munera ad Christifidelium illarum partium utilitatem, adjuvante Domino, facilius exequi valeant; ex commissi Nobis cœlitus sacrosancti apostolatus officio providere volentes, de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium in tota republica christiana generalium inquisitorum adversus hæreticam pravitatem auctoritate apostolica deputatorum consilio, fratribus missionariis præfatis, cum nigris neophitis earumdem insularum tum indigenis, tum advenis, in quocumque, vel quibusvis consanguinitatis, vel affinitatis gradibus a jure divino non prohibitis, primo tamen excepto, et in eodem primo etiam rectæ lineæ affinitatis, ex copula illicita resultantis, ut matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere valeant; in occultis tamen, et in foro conscientiæ tantum, ac urgentibus justis causis auctoritate apostolica gratis dispensandi, et eos, qui primo affinitatis gradu ejusmodi matrimonium etiam scienter contraxerint, ab excessibus excommunicationis, aliisque censuris, et poenis ecclesiasticis ea de causa incursis, in foro conscientiæ tantum gratis pariter absolvendi, ac prolem inde susceptam, et suscipiendam legitimam decernendi, facultatem ad viginti annos tantum duraturam, donec interim in illis partibus aliquis episcopus constituatur, dicta auctoritate tenore præsentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 2. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 3. Volumus autem, ut earumdem literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici, vel segretarii dicti ordinis subscriptis, et sigillo dilecti filii generalis ordinis præfati, vel alterius personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima quarta martii millesimo septingentesimo septuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 8. aprilis 1777. Anno III.

CXXVII.

Declaratio quoad loca, et personas comprehensas in territorio parochialis regiæ capellæ catholici regis.

Charissimo in Christo filio Nostro Carolo Hispaniarum regi catholico.

Pius PP. VI.

Charissime in Christo fili Noster salutem, et apostolicam benedictionem.

Commendatur usus ablegandi ad s. Sedem quæstiones de rebus ecclesiasticis.

§. 1. Vetus, atque eximium regiæ pietatis exemplum, quo magnus Constantinus imperator quæstiones, ac lites inter Orientis episcopos vertentes renuit judicare; causamque Donati, ac Cæciliani cognitioni suæ, et judicio oblatam san. mem. Melchiadi Romano pontifici Nostro prædecessori discutiendam, ac definiendam esse demandavit: pari regia pietate catholicorum regum Hispaniarum, diebus quoque Nostris, iterum evenisse, ac subortas quæstiones inter cappellanum majorem ex una, et archiepiscopum Toletanum, nonnullosque rectores parochialium ecclesiarum, et ordinum regularium superiores ex altera partibus, reges ipsi catholici definire renuentes, illas ad judicium apostolicæ hujus sanctæ Sedis fuisse delatas in Domino gaudemus, atque lætamur.

Memoratur erectio regiæ cappellæ, et ejus privilegia exponuntur.

§. 2. Alias siquidem fel. rec. Benedictus pp. XIV. prædecessor Noster per suas in simili forma Brevis die xxvii junii MDCCLIII literas ad preces cl. me. Ferdinandi, dum vixit earumdem Hispaniarum regis catholici cappellam regiam, cui archiepiscopus pro tempore Compostellanus cappellanus major existit in parochialem ecclesiam cum omnibus, et singulis prærogativis, et honoribus, ac juribus, quibus aliæ parochiales ecclesiæ fruuntur, et gaudent, apostolica auctoritate erexit, ipsique regiæ cappellæ, sic in parochialem ecclesiam erectæ particulare, et separatum territorium, nempe totum ambitum palatii regis, in quo rex Hispaniarum catholicus, ejusque regia familia habitat, et commoratur, ejusdemque palatii officinas, et domus vicinas, adhærentesque, seu adjacentes ab apostolicæ Sedis in eisdem Hispaniarum regnis tunc existente nuntio in album describendas, et declarandas; insuper omnia, et singula palatia in quibus pro tempore existentes dictarum Hispaniarum reges catholici, ubique intra limites ipsorum regnorum Hispaniarum existentia habitari, aut commorari, et hospitari possunt: palatia quoque in quibus dictarum Hispaniarum reginæ viduæ Asturiæ princips, et Hispaniarum infantes habitare, commorari; ac demum cætera loca in quibus ipsarum Hispaniarum reges domus, et palatia pro sua, suæque familiæ habitatione habere solent, et poterunt, omnesque eccelsias, et cappellas palatiis, domibusque regiis hujusmodi annexas, et connexas, et in illis existentes, nec non hospitale vulgo *della Corte* nuncupatum seu *Buon Successo*, aliudque hospitale regium Aragoniæ, Montis Serrati, alterum sub invocatione nationis Belgicæ, seu Belgicorum vulgo *li Fiammenghi*, et reliquum sancti Aloisii, seu Ludovici nationis Gallicæ, ac conventum sanctæ Elisabethæ una cum collegio puellarum educandarum ipsi conventui annexo, et aggregato; demum collegium educandarum beatæ Mariæ Virginis Lauretanæ nucupatum, omnesque, et singulas personas in dictis hospitalibus, conventu, et collegio pro tempore existentes, ac illorum servitio addictas eadem auctoritate constituit, et assignavit, ac ipsi cappellano majori, seu rectori, et administratori, tunc et pro tempore existenti dictæ cappellæ regiæ in parochialem ecclesiam, sicut præmittitur, erectæ ad dicti separati particularis territorii curam, regimen, et administrationem animarum parochianorum, et subditorum parochialis ecclesiæ hujusmodi commisit, et mandavit. Præterea ne lites, et controversiæ super administratione sacramentorum, aliorumque jurium parochialium hujusmodi inter cappellanum majorem seu rectorem, et administratorem regiæ cappellæ pro tempore, et cæteros parochos, seu rectores pro tempore aliarum parochialium ecclesiarum orirentur, et jurisdictio ad quemlibet eorum de jure spectans confunderetur, auctoritate prædicta voluit, et mandavit, ut parochiani dictæ novæ parochialis ecclesiæ, ac præscripti, et voliti territorii separati, in quibus cappellanus major, seu rector, et administrator hujusmodi parochialis ecclesiæ omnimodam jurisdictionem privativam episcopalem, seu quasi episcopalem exercere, et explere, ac curam animarum habere, omniaque ecclesiastica sacramenta administrare possit, et pastor animarum suarum existant, intelligant an sint, et esse debeant rex, et regina, omnesque personæ regiæ, principes, et infantes Hispaniarum utriusque, cæterique principes sanguinis vulgo nuncupati, si existere contigerit, omnesque domestici, et familiares, domuique regiæ hujusmodi inservientes, et famulatum præstantes, et ratione eorum servitii ab ærario regio stipendium, et salarium percipientes in album vulgo *Ruolo*, *Catalogo* nuncupatum relati, juxta descriptionem ab ipso dictæ apostolicæ Sedis nuntio faciendam; nec non omnes domestici, et familiares palatiorum reginæ viduæ, et Infantum Hispaniarum, cæterique ministri, et curiales, nempe ii, qui regem, et curiam sequuntur, quando pro tempore existens Hispaniarum rex iter facit extra oppidum Matriti, omnesque habitatores palatiorum regiorum, ac in illis quocumque modo, causa, ratione, et occasione etiam moræ, apud consanguineos, et affines, qui famulatum dicto regi præstant, seu addicti sunt servitio, seu negotiorum, aut studiorum causa moram trahentes, et commorantes, seu domorum, et apothecarum palatiis regiis adhærentium conductores. Præterea omnes, et singulas functiones, actusque, quos episcopi in propriis respective ecclesiis, sibi subjectis peragere solent, quoties rex catholicus ad quamcumque cathedralem collegiatam, parochialem, et monasterialem ecclesiam, et inibi tum regia cappella quibusvis functionibus peragendis assistere intendat, etiam si subinde

rex prædictus aliquo legitimo impedimento detentus minime accedat, et intersit; similiter exercendi, et peragendi plenam, et liberam facultatem pari auctoritate concessit, et indulsit, ac alias prout in ipsius Benedicti prædecessoris literis prædictis, quarum tenorem præsentibus pro plene, et sufficiecter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, fusius continetur.

Describitur quomodo executioni missæ fuerint literæ apostolicæ circa assignationem territorii regiæ cappellæ, in parochialem ecclesiam erectæ, et lites inde subortæ.

§. 3. Deinde vero sicut pro parte majestatis suæ Nobis nuper expositum fuit, quod cum apostolicæ Sedis nuntius, tunc in Hispaniarum regnis apud regem catholicum existens, cui dicta literarum executio comissa fuerat, instante regio fiscali, ad descriptionem, et declarationem particularis, ac separati territorii regiæ cappellæ, seu novæ parochialis ecclesiæ devenerit, exprimens, ac definiens palatia, ecclesias, domos, locaque etiam, quæ intra illius fines recenseri, et homines, ac personas, quæ jurisdictioni dicti cappellani pro tempore existentis subiecta esse deberent, ejusque decreta executoralia iis quorum intererat, intimata fuerint multæ, et graves quæstiones, ac controversiæ inter bo. me. Aloisium dum vixit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem de Cordova nuncupatum, tunc temporis archiepiscopum Toletanum, et nonnullos ecclesiarum parochialium parochos, et rectores, ac ordinum regularium superiores ex una, qui novæ parochialis ecclesiæ erectione jura sua graviter læsa, atque imminuta præter Romani pontificis, et catholici regis mentem, ac voluntatem asserebant, et dilectum nostrum Bonaventuram Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem de Cordova Spinola della Cerda nuncupatum pro cappellanum majorem ex altera partibus, qui pro regia cappella acriter se opposuit, nihil existimans actum fuisse nisi quod maxime æquum, ac conveniens, et necessarium esset, ac apostolicis literis et regiæ voluntati consonum, ortæ ac suscitatæ fuissent.

Hispaniarum rex specialem congregationem deputavit ut de utriusque partis juribus re cognita referret.

§. 4. Utraque pars ad omnes controversias dirimendas, componendasque satius esse duxit, rationes, ac jura quæ sibi competere autumabat memorato regi catholico Ferdinando in scriptis exhibere; ipse autem rex, ut in re tanti momenti ea maturitate, qua par erat procederet, conventum, seu congregationem vulgo *Giunta* nuncupatam quinque doctorum æque ac proborum virorum deputavit, qui omnibus expensis, consideratis postea ad se referrent.

Contigit subinde, ut idem Ferdinandus rex ex hac mortali vita decederet; et universo christiano orbe plandente, gratiasque immortales Deo agente, quod Hispaniarum regna, et Catholicam Romanam Ecclesiam, tam firmo præsidio, ac potenti amantissimo defensore muniret et provideret majestas tua ad Hispaniarum tronum evectus regni regimen suscepisti.

Resolutione congregationis deputatæ audita negocium ablegatum est definitioni sancta Sedis.

§. 5. Congregatio vero seu juncta dictorum virorum, ut præfertur, deputatorum cum munus sibi injunctum explevisset, et resolutionem suam, seu consultationem regiæ tuæ majestati obtulit, majestas autem tua, qua a gloriosis majoribus tuis, non minus regiam dignitatem, quam reverentiam, cultum, atque amorem erga hanc apostolicam Sedem accepisti, et pro singulari tua erga Deum, ejusque Ecclesiam pietate, ac devotione judicium, et sententiam tuam super his interponere recusati; namque totam apostolicæ Sedi examinandam, et dijudicandam remisisti, aperte obtestans quidquid a Nobis judicabitur, a maiestate tua ea animi riverentia, qua cathedram Petri prosequeris, et pari voluntatis assensu acceptum iri.

Declaratio apostolica.

§. 6. Propterea piis animi regis votis, quantum cum Domino possumus obsequi volentes, cupientesque omnia discordiarum semina, occasiones, et causas, quibus christiana pax perturbatur et charitatis vincula non sine magno animarum detrimento dissolvuntur penitus auferre, ac submovere motu etiam proprio, et ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra in perpetuum valitura sanctione ad particulare, et separatum territorium regiæ cappellæ in novam parochialem, ut præmittitur, erectæ spectare, et pertinere declaramus primarium palatium Matritensis aulæ regiæ destinatum continuæ residentiæ majestatis tuæ, ac regiæ familiæ seguenti modo videlicet. A porta s. Vincentii in Deambulacrum quod *Floride* dicitur ascendendo per lineam efformatam a sæpedicta paræcia, circumeuntem usque ad novam viam ipsius palatii per quam ascenditur tendendo semper dextrorsum usque ad introitum in aliam viam dominæ Mariæ de Aragona; ibi vergitur ad dexteram, et prosequendo per lineam efformatam a domibus unitis monasterio monialium Incarnationis, usque ad frontem ipsius ecclesiæ continuatur per lineam ædificii in quo regia adservatur

bibliotheca, ac intrando in viam Thesauri, semperque ad dexteram tendendo usque ad portam Thesauri pariter dictam, per quam datur aditus ad plateam palatii, ibi transitur ad sinistram, et prosequendo per lineam, quæ efformatur ab ecclesia sancti Ægidii per portam quæ pariter sancti Ægidii dicitur, et aggerem palatii *Petris* nuncupati usque ad arcum magnum per quem intratur in plateam ipsius palatii: inde vero continuando per regia equilia usque ad ingressum in viculum, qui est ad dexteram, ex quo intratur in alium viculum, qui primo ad sinistram occurrit, ac tendendo semper dextrorsum exitur per portam denominatam = *de la Vaga* = Inde vergitur ad domos, quæ sunt ad dexteram, donec occurrit septum Parci: per illud continuatur usque ad portam *sancti Vincentii*, unde incœpta fuit præfinitio. Intus præfatum ambitum sita sunt regium palatium, solum pro viridariis, bibliotheca, armamentarium, equilia, aliæque officinæ, et ædificia adjacentia, nec non monasterium monialium sancti Augustini, quod Incarnationis nuncupatur, et palatio adjacere reputatur. Totus autem prænotatus circuitus cappellano, aut pro cappellano majori assignatus sit tendendo semper dextrorsum per plateas, et vias indicatas: quæ vero ad sinistram prætereunt ipso etiam solo viarum, platearumque comprehenso subiecta remaneant respective parochiis, quamvis sinistrorsum sitæ sunt nonnullæ domus ad regem spectantes, et ab ipsius familiaribus inhabitatæ. Si in posterum dictarum platearum, et viarum sæpedictarum figuram mutari, et ædificia cum palatio unita, sive ei adjacentia construi contigerit, jurisdictioni cedant pro cappellani majoris etiam si extra hodiernam præfinitionem illud situm modo reperiatur, ac viceversa licet intus eumdem ambitum monasterium monialium Incarnationis, cum domibus ei unitis in quibus illius cappellani, cæterique ministri habitant includatur.

Reservationes peculiares.

§. 7. Nihilominus hujusmodi comprehensio nullum generare valeat præjudicium exemptioni ac privilegiis, quæ regularibus competunt, et ea quoque adjecta daclaratione, quod personæ religiosarum idem monasterium constituentes sive sursum, sive simul communiter sumptæ in omnibus subjectæ esse debeant jurisdictioni pro tempore existentis archiepiscopi Compostellani, tamque cappellani majoris majestatis tuæ in omnibus, et per omnia, sicuti antea fuerunt, ac tempore concessionis, et expeditionis præcedentium literarum ipsius Benedicti prædecessoris reperiebantur; idque etiam in ministris cappellanis, aliisque factoribus nuncupatis, nec non inservientibus dicto monasterio, et communitati locum æque habere volumus, atque sancimus. Similiter ad jurisdictionem dicti cappellani seu procappellani majoris decernimus quidquid regia villa prope Matritum = *Casa del campo* = appellatur cum regalibus ædibus, ceterisque ædificiis, totumque territorium in illius circuitu comprehensum, nil prorsus excepto.

Solicitudini regiæ commendatur cura animarum, et recta sacramentorum administratio in ambitu territorii cappellæ.

§ 8. Cum vero cappella, et cappellani a rege stipendia accipientes ibi sint costituti, majestatis tuæ solicitudini injungimus, ut animarum cura, et sacramenti administratio ita ibidem stabiliatur, ut qui in toto eo ambitu degunt, quique omnes tibi inserviunt spiritualia opportune inde recipiant. Porro in conventibus, domibus, atque collegiis villæ Matriti, quæ subjecta erant jurisdictioni pro cappellani majoris prædicti ante earumdem literarum expeditionem ipse pro cappellanus dictam jurisdictionem eisdem modo, et forma, ac in omnibus, et per omnia sicut prius exercere solebat, ita et in futurum quoque absque ulla, vel minima diminutione, seu mutatione exercere libere pariter, ac licite possit et valeat.

Ampliatio territorii parœciæ noviter erectæ.

§. 9. Præterea ad separatum, et particulare territorium dictæ regiæ cappellæ in parochialem, ut præmittitur, erectæ spectare quoque declaramus palatium, ac locum = *del Buon Ritiro* = vulgo nuncupatum, ubi majestas tua cum regia familia commorari quandoque solet una cum ejus platea, officinis, et habitationibus circum existentibus viridariis, domibus, et cappellis, et oratoriis, aliisque ædificiis, nec non cæteris omnibus positis intra muros, et septa, quæ regium ipsum locum dividunt, et separant, videlicet a fronte ecclesiæ, et januæ monasterii sancti Hieronymi descenditur per lineam efformatam a parietibus, et ædificiis, quæ sunt ad sinistram usque ad rivulum prati, inde prope eumdem rivulum ascenditur ad angulum novi viridarii Verni, inter pratum, et viam de Alcalà, et sequendo lineam, quam septa locum cingentia efformant per septentrionem, orientem, meridiem, et occidentem, sive quæ locum ipsum quatenus novum ei adjiciatur solum

circumdare in posterum contigent usque quo denuo occurat dictum monasterium sancti Hieronymi; licet vero monasterium præfatum cum suis ecclesia claustro, officinis, oliveto, horto, cæterisque intra clausuram regularem comprehensis, nec non pars, quæ *Quarto dell'Escorial* dicitur intus præfinitum ambitum sita sint. Nihilominus permanere volumus sicut antehac permanserunt exempta a jurisdictione pro cappellani majoris, suisque superioribus regularibus subjecta; declarantes, quod usus ecclesiæ supradictæ, ejusque sacellorum, sacrarii, claustrorum, aliorumque inde dependentium remanere debeat omnino liber cappellano, et procappellano majori majestatis tuæ pro omnibus functionibus ecclesiasticis, quæ vel fieri solent, vel in posterum peragi contingat juxta formam et tenorem prædictarum literarum ipsius Benedicti prædecessoris; et monachi sive sejunctim, ac singulariter, sive simul sumpti, et communiter tam quoad jurisdictionem, quam quoad regularia privilegia in eodem statu, quo tempore expeditionis prædictarum literarum reperiebantur, in posterum quoque permanere debere statuimus, et jubemus, neque in hoc aliquid innovatum, vel immutatum esse declaramus.

Assignatio favore proximorum parochorum, et quomodo proximitas sit dimetienda.

§.10. In altero regio loco Pardi, et Viriculas, ac la Zarzuela cujus territorium vastum est, et continet incolas in diversis partibus dissitis quidem a regia cappella regio quod ibi est palatio contigua, pariter in parochialem ecclesiam erigenda cappellani, seu procappellani jurisdictioni subjiciant ipsum regium palatium, pagus, pomarium, eidem palatio contiguum, nec non omnes regiæ ædes, domus escubiarum, aliaque ædificia, comprehensa quoque villa quam ducis Arcus nuncupant, dictæ regiæ cappellæ potius quam parochiis circum, si totorum locorum proximiora, quæ vero regiæ aedes, domus escubiarum, et alia ædificia finitimis parochiis, potius quam regiæ cappellæ proximiora sint eisdem parochiis subjecta remaneant, etiam si hactenus aliis parochiis subjecta fuerint. Volumus etiam subjectionem a majori proximitate dimetiri: quoniam vero hujusmodi ædium inquilini, ac præsertim excubantes milites in illis permanenter non resident, sed ex uno ad aliud ita frequenter mutantur, ut in anni cursu diversarum parochiarum evadant.

Præceptum de remittendo transumpto regio cappellano de sacramentis administratis.

§. 11. Propterea quibuscumque finitimarum parochiarum parochiis præcipimus, atque mandamus, quod quotiescumque baptismatis, aut matrimonii sacramenta eos administrare, aut sepulturæ officium peragere contigerit erga aliquem a præfato regio loco dependentem, sed in ædificiis eorum parochiis subjectis habitantem teneantur ad cappellanum in parochiali cappella ejusdem regii loci animarum curam exercentem mittere transumptum partitæ in suis parochialibus codicibus exaratæ, ut parochus dicti loci similem partitam in suo codice adnotet. In hujusmodi autem adnotationibus parochi designent, quod baptizati, aut matrimonio conjuncti, vel defuncti a regio loco dependent, et in qua domo, vel situ habitant, vel respective habitaverint.

Præcipitur deputatio presbyterorum necessariorum ad rectam sacramentorum administrationem

§. 12. Quia vero ad nostram pervenit notitiam quod in cappella dicti regii loci cappellanus jam constitutus reperitur, ideo majestatis tuæ zelo sedulo concredimus, ut ibidem reliquos, qui necessarii fuerint ad rectam sacramentorum administrationem, verbique divini suis parochianis prædicationem presbyteros costitui curet.

ExemptioCappuccinorum a jurisdictione cappellani regii, et præfinitio districtus provincialis ipsius ordinis.

§. 13 Denique a jurisdictione pro cappellani majoris exceptum esse volumus fratrum ordinarii Cappuccinorum nuncupatum conventum duo fere milliaria a pago distantem, cujus subjectionem superioribus regularibus dicti ordinis præservamus palatium, quod de Fransuez denominatur pariter cappellani, seu pro cappellani majoris separatæ jurisdictioni subjciatur, ejusque districtum provincialem sequentibus terminis præfinimus, videlicet per pontem ratibus supra Tagum efformatum, flumen ipsum transgrediendo linea recta continuatur, usque ad initium viæ Infantum, per quam ascendendo intratur in viam Gubernationis, quam sequendo usque ad viam sancti Antonii illac descenditur, donec ad arcus, et ecclesiam ejusdem sancti Antonii pervenitur. Ibi ad orientem, mox ad meridiem ejusdem ecclesiæ vergendo transitur ad meridionale, et occidentale latera regiorum equilium, a quorum angulo inter occidentem, septemquetriones ducta linea recta usque ad viam arborum, quam Toletanam vocant contra stativa excubantiam militum Vallonensium continuatur per viam Toletanam, donec alia via arborum occurit, quæ de la = *Es-*

quadra, dicitur, per quam descendendo ad Tagum per ejus ripam adscenditur ad pontem ex ratibus, a quo ambitus inceptus fuit. Quoad hujusmodi circuitum territorii illius continentia censenda semper erit dextrorsum per vias, domosque, ita ut extra definitos terminos remaneat quidquid sinistrorsum extat cum ipso viarum solo. Intus hunc ipsum ambitum continentur regium palatium, et viridaria, illo quoque comprehenso, quod insulæ dicitur, domus officiorum, et equitum appellatæ, ædes Infantum, platea, arcus, et ecclesia sancti Antonii, domusque ei unita stativa peditum Hispanorum, et Vallonensium, aliaque minora ædificia, totum itaque designatum territorium semper, ac permanenter ad jurisdictionem cappellani, seu pro cappellani majoris spectabit, subjectum parochialitati regiæ cappellæ, etiam si neque regem, neque ullam regiam personam ibi degere contigerit; eidem quoque jurisdictioni, et parochiali districtui subiiciantur, stativa custodum corporis, et æquilia regia, licet ambo ædificia a dicto ambitu sint separata; conventus vero sancti Paschalis fratrum ordinis minorum sancti Francisci discalceatorum nuncupatorum in dicto territorio comprehendatur quidem, sed tum conventus, tum ecclesia, hortus, et quidquid intra clausuram est, nec non regulares personas ibi degentes suis superioribus regularibus subiiciantur. Quidquid autem illius territorii licet intra limites dicti regii loci, eique unitum sit, nec tamen intra sic præfinitos terminos extat simul cum primario pago ecclesiæ Beatæ Mariæ Virginis de Alpagy nuncupatæ, et quæcumque alia, quam in posterum construi contigerit, omniaque ædificia vel unita, vel dispersa nunc constructa, vel pro tempore construenda cum castello de Aceca et oratorii, vel ædiculis ibi existentibus, et in futurum ædificandis exempta sint a jurisdictione cappellani, seu pro cappellani majoris, prout ante expeditionem dictarum literarum prædecessoris prædicti extabant.

Præservatio jurium regalium super loco pertinentium.

§. 14. Præservatis tamen majestati tuæ, tuisque successoribus juribus, jurisdictione, et præeminentiis in dicto loco competentibus uti administratori perpetuo militaris ordinis sancti Jacobi de Spatha, nec non suis quoque respective vener. fratri Nostro archiepiscopo Toletano, uti diœcesano in regio loco ad sanctum Laurentium, quem *del Escorial* vocant ad jurisdictionem pariter cappellani, aut pro cappellani majoris, durante tamen ibidem regis permanentia, et non ultra, pertineat tota ea ædificii pars, in qua rex ipse, et cæteræ personæ habitare solent, et reliquum, quod palatium appellatur, scilicet a janua, quæ descendens a claustro principaliori aditum præbet ad aulam in qua extant tribunæ Philippi II. inde vergitur ad regia cubicula, et ad cætera quæ orientale latus, partesque septemtrionales occupat usque ad ingressum collegii, comprehensis omnibus officinis, et habitationibus in hujusmodi ambitu per omnes dicti ædificii partes existentibus, nec non tribunis regiis, ac iis, quæ palatinis matronis pro sacello inserviunt, cæterisque membris, quæ occurrunt intrantibus ostium, per quod ab aula præliorum aditur ecclesiæ chorus: ad eamdem quoque jurisdictionem pertineant monasterii cellæ in quibus regiæ personæ degerint, non autem quæ ab illarum familiaribus habitentur. Præter hujusmodi ædificium, præfatæ subiiciantur jurisdictioni, dum rex ibidem resideat, et non ultra, duæ officiorum domus, item alia dominorum Infantum, et altera continens equilia regia, et balistaria, ecclesia, monasterium, et collegium semper prioris jurisdictioni subsint, prout etiam qui regem comitantur, quatenus in monasterio aut collegio hospitentur, nec non quæcumque alia loca hic non designata, licet ad regem ipsum pertineant, ejusdem tamen prioris sub jurisdictione remaneant. Quo vero ad præfatam ecclesiam sancti Laurentii, quidquid ibi, in usu, et praxi erat ante expeditionem prædictarum literarum memorati Benedicti prædecessoris in suo robore consistere, et permanere debere volumus, atque mandamus. In loco etiam apud sanctum Hidelfonsum ad jurisdictionem quoque cappellani, aut pro cappellani majoris, durante tantum regis aut alicujus regiæ personæ ibi permanentia spectent palatium, ac vigilum stationes intrinsecus, et tribunæ ex eodem palatio in ecclesiam respondentes; cætera nil ulterius reservato, abbatis jurisdictioni subsint, etiam si regem ibidem residere contigerit. In aliis autem locis, palatiis, ædibusque, quæ, et quas majestas tua in diversis urbibus, cæterisque regni tui partibus possidet, cappellanus, seu pro cappellanus major tantum jurisdictionem obtinebit, quatenus vel regem, vel regiam personam in eis moram facere contigerit. In qui-

bus casibus ejus subdantur jurisdictioni: ipsa dumtaxat palatia, officinæ, et hospitia propria ejusque adjacentia; extra hujusmodi casu parochiis, in quarum districtibus existant, subiiciantur.

Peculiares jurisdictiones cappellani majoris exercendæ occasione itinerum regis.

§. 15. Præterea occasione itinerum a majestate tua, tuisque successoribus, seu regiis personis aliquando fortasse suscipiendorum cappellanus, seu pro cappellanus major animarum curam exercebit in regios familiares actu familiaritatem exercentes; sed etiam in quasvis alias personas comitatui inservientes, solis exceptis, quos suorum negotiorum, aut proprii solatii causa, idem peragere iter contigerit. In hujusmodi autem itineribus a majestate tua peragendis idem pro cappellanus major eligere poterit ecclesiam sibi magis benevisam, licet alteri, sive episcopo, sive ordinario subiectam, in qua ipse vel celebrare, vel celebrari facere possit sacrosanctum missæ sacrificium, aliosque actus, vel functiones peragere valeat, quas episcopi, cæterique prælati, in propriis ecclesiis exercere solent; dempta tamen metropolitana ecclesia Toletana, cæterisque exceptis ecclesiis cathedralibus regnorum Hispaniarum, non solum quia metropolitana ecclesia prædicta, utpote primum locum obtinens in eisdem regnis, minime idcirco conveniens videtur, quam paulisper aliis, quam suo proprio præsuli, subiecta sit, verum etiam quia metropolitana ecclesia Toletana prædicta, nec aliæ cathedrales ecclesiæ comprehensæ reperiuntur in memoratis literis ipsius Benedicti prædecessoris; ac animo insuper Nos advertentes, quod quatenus Hispaniarum reges catholici in eis velint interesse, illarum sane episcopi id suo tributuri erint honori obsequia eisdem regibus debita præstando; ad hæc, ne ulla unquam quoad jurisdictionem respicientem personas, quæ pro tempore cappellano, seu pro cappellano majori subjectæ esse debent, oriatur dubitatio, eidem tamquam parochiani personaliter subiiciantur, quiqui in territoriis, ædificiisque supradicto cappellano, seu pro cappellano majori superius assignati degerint.

Distributio decimarum, et juris sepeliendi mortuos.

§. 16. Itaque familiares quamvis regii, extra tamen quamvis degentes, parochiis suorum respective domiciliorum subdantur: viceque versa qui in territoriis, atque ædificiis præfinitis degerent, etiam si regis familiares non fuerint ad curam dicti cappellani, seu pro cappellani majoris omnino pertineant. Qui vero in præfinitis locis habitaverint, paschale adimplere teneantur præceptum in eorumdem respective locorum cappellis regiis, aut in oratoriis in regiis palatiis ibidem existentibus, aut in ecclesiis a cappellano, seu pro cappellano majori destinandis, etiam si ad ipsius jurisdictionem dictæ ecclesiæ minime pertineant, si in hujusmodi cappellis regiis juris baptismatis in fonte proximioris parochiæ; et quamvis prædiales decimæ, quo ad prædicta separata territoria ad novam parochialem cappellam ibi existentem spectare deberent; nihilominus ut procul absit cujuscumque querelæ occasio, simulque præ oculis habito, quod universis majestatis tuæ ministris regia sane liberalitate, ac redundanter consultum sit, hinc easdem decimas integre ad parochialem ecclesiam magis proximam regiis palatiis, ac ad alias parochiales ecclesias, quæ decimas hujusmodi ante earumdem ipsius Benedicti prædecessoris literarum expeditionem percipiebant, spectare ac pertinere declaramus. Ne autem quo ad futura etiam ad sepeliendi jus ulla unquam valeat oriri quæstio, seu dubitatio per præsentes statuimus, et demandamus, quod cadavera eorum, qui in regiis palatiis, aut territoriis separatis ejusmodi decesserint, juxta disposita, atque præscripta a memorato Benedicto prædecessore in eisdem suis literis, a parochiali ecclesia magis proxima, non vero alibi sepelienda sint, excepto casu electionis sepolturæ ab ipsis morientibus peractæ, quo sane casu eidem parochiali ecclesiæ magis proximæ associationem cadaverum eorumdem defunctorum perpetuo salvam esse volumus, atque statuimus. Cumque propterea cadavera eorundem defunctorum in regiis palatiis, ac territoriis separatis prædictis tumulanda sint in dicta parochiali ecclesia magis proxima, (quod tamen locum sibi vindicare poterit, et debebit, sive morientes eligant ibidem sepolturam, sive absque ulla sepulturæ electione decedant) Quoties electio sepulturæ in aliena parochia sequatur tam tumulationis, quam associationis jura memoratæ ecclesiæ magis proximæ debita esse sancimus, et mandamus. Pro cujus exequtione a vice parocho, et ministris novæ parochialis cadavera eorundem defunctorum consignanda erunt vice parocho et beneficiatis parochialis ecclesiæ magis proximæ, in januis plateæ princi-

palium regiorum palatiorum a quo sane loco juxta disposita in præfatis literis ejusdem Benedicti prædecessoris funebrem cantum, et exequias incohandas esse volumus, et jubemus; cappellanos demum, cantores, aliosque actu majestati tuæ inservientes, ac dotem habentes, sive stipendium consequentes a regia cappella in parochialem erecta, in eorum causis demptis tantummodo beneficialibus in memoratis literis ipsius Benedicti prædecessoris expresse exceptis, foro passivo frui, et gaudere decernimus, et mandamus. Decernentes ipsas literas etc. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die 8. aprilis 1777. pontificatus Nostri anno tertio.

CXXVIII.

Dat. die 8. maii 1777. Anno III.

Nova commissio unionis ordinis sancti Antonii Viennensis cum Hierosolymitano ordine, ac nonnullæ concessiones, et declarationes ad utriusque ordinis connexionem opportunæ.

Pius Papa VI.

Pius episcopus servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium

§. 1. Apostolicæ providentiæ ratio postulat, ut ad feliciorem procurandum rerum concessarum, eventum submovendasque quaslibet dubitandi causas aliquibus juxta supplicum vota immutatis, quæ præscripta erant utilius, et apertius demandare, pariterque nova beneficentiæ dona impartiri curemus.

Tenor aliarum literarum ad eumdem effectum expeditarum.

§. 2. Nuper quidem post maturum particularis congregationis quinque venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium consilium Nobis præstitum per alias Nostras literas sub datum videlicet apud sanctum Petrum decimo sexto kalendas januarii pontificatus Nostri anno secundo, prævia confirmatione conventionum inter ordinem Hierosolymitanum, ac alium sancti Antonii de sancto Antonio Viennensi denominatum initarum, quibus Hierosolymitano ordini gravibus de causis ordinis sancti Antonii professores in comitiis generalibus se se dederant, illos ad Hierosolymitanum ordinem in gradu fratrum cappellanorum transtulimus, atque utrumque ordinem insimul univimus, ut in futurum pro tempore existentes Hierosolymitani ordinis magnus magister ordinibus sic unitis præesset, et usque tunc ordinis sancti Antonii professores tamquam fratres cappellani servientes curæ, guberio, et jurisdictioni ipsius magni magistri in omnibus, et per omnia subessent, prout eatenus eorum abbati generali suberant, illique tamquam membra capiti obedirent, ac viginti sex ejusdem ordinis sancti Antonii monasteria, domus, commendas, præceptorias, et alia loca quomodolibet nuncupata in Galliarum regnis sita cum omnibus illorum membris, granciis, fundis, dominiis, proprietatibus, fructibus, redditibus, proventibus, et bonis, ac semoventibus, bibliothecis, juribus, actionibusque universis, nec non ecclesiis, non tamen parochialibus ad ordinem sancti Antonii eatenus spectantibus, una cum earum sacris suppellectilibus ipsi ordini sancti Joannis Hierosolymitani perpetuo addiximus, anneximus, et incorporavimus. Quo vero ad parochiales ecclesias ordinis sancti Antonii a præmissa unione separatas illarum naturam, statum, et essentiam omnem regularem ipsius ordinis etiam perpetuo suppressimus, et extinximus, easdemque parochiales ecclesias ad statum sæcularem sub omnimoda venerabilium etiam fratrum Nostrorum archiepiscoporum, et episcoporum, in quorum diœcesibus respective sita sunt, jurisdictione, ita quod citra præjudicium aliquod eorum presbyterorum ordinis sancti Antonii professorum, qui eas tunc possidebant, illæ deinceps, et cum vacaverint, juxta canonicas sanctiones, et concilii Tridentini decreta presbyteris sæcularibus conferri deberent, etiam perpetuo reduximus, et immutavimus. Insuper expresse declaravimus, quod cum sæpedicti ordinis sancti Antonii professores in regulari statu sint permansuri, et singulorum substentationi satis consultum sit, nullumque idcirco ex bonis ante regularem professionem patrimonialibus, vel alias ratione sanguinis ipsis delatis alimenta petendi jus ipsis competere posset.

Jura episcoporum super monasteriis in singulis dioecesibus existentibus.

§. 3. Præterea eisdem venerabilibus fratribus Nostris archiepiscopis, et episcopis, nec non dilectis filiis abbatibus jurisdictione quasi episcopali pollentibus, in quorum diœcesibus, ac respective territoriis monasteria, ecclesiæ, aut bona quæcumque ordinis sancti Antonii, ut præfertur, uniti sita sunt, injunximus,

et præcepimus, ut ipsi tamquam a Nobis, et ab apostolica Sede delegati Nostras literas solemniter publicantes, Hierosolymitanum ordinem, et pro eo legitimos procuratores in veram, realem, et actualem possessionem monasterii Viennensis, præceptoriarum, ecclesiarum, et bonorum quorumcumque ordinis sancti Antonii in Galliarum regnis, ut præfertur, consistentium juxta earumdem literarum seriem immitterent, eique in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes facerent auctoritate Nostra ipsas literas, et in eis contenta quæcumque ab omnibus, ad quos spectat inviolabiliter observari, contradictores quoslibet cujuscumque status, ordinis, vel præeminentiæ fuerint per sententias, censuras, et pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, et legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, et pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocatoque pariter ad hoc, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, prout inter cætera in eisdem Nostris literis contenta plenius exprimitur.

Preces porrectæ pro consequenda declaratione præcedentium literarum.

§. 4. Cum autem Nobis modo nomine dilecti filii Nostri nobilis viri Hierosolymitani ordinis magni magistri novæ oblatæ fuerint preces, atque præsidium suum denuo præstans carissimus in Christo filius Noster Ludovicus Galliarum rex christianissimus efficacissima officia sua erga Nos adhibuerit, ut nimirum ea, quæ in præmissis Nostris literis statuta sunt, ut infra, declarare, nec non quædam alia ad feliciorem utriusque ordinis connexionem ediicere, et statuere, præcipue vero, ut earumdem literarum cunctis archiepiscopis, et episcopis, nec non abbatibus, ut præfertur, delegatam executionis commissionem antequam eædem literæ alicui fuerint, prout minime fuerunt præsentatæ, aliis injungere dignaremur. Etenim sicut accepimus, si in quibuslibet, in quibus ordinis sancti Antonii sita sunt monasteria, domus, commendæ, præceptoriæ, vel bona quæcumque eorumdem regnorum diœcesibus publicatio ipsarum literarum, et exequutio expleri deberet, plurimis, gravibusque curis, et solicitudinibus Hierosolymitanus ordo obnoxius foret, actorum in immensum augeretur numerus, atque in eam rem sumptus magni insumerentur. Cumque uterque ordo jamdiu a quorumvis ordinariorum jurisdictione fuerit penitus exemptus, et apostolicæ Sedi immediate subjiciatur, si absque eorumdem ordinariorum opera ipsis literis executio impertiretur minime læsa eorumdem jurisdictio haberi poterit.

Tenor declarationum.

§. 5. Nos itaque singulis, quæ a Nobis modo expetita sunt variationibus, et declarationibus, novisque concessionibus serio perpensis, signanterque caussis, ut supra, expositis, ut priorem executionum literarum alias demandaremus, atque animo reputantes vota ejusdem Ludovici regis, qui haud minorem, quam regii sui prædecessores fovet studium de catholica religione benemerendi eo collimare, ut exoptata unio illa concordia, et tranquillitate suum tandem sortiatur effectum, qua in florentibus ipsius regnis, et dominiis ejus subditi gaudent, quam libenter eisdem votis morem gerimus, et enixas ipsius magni magistri preces benigne adimplere non detrectamus.

Conceditur ordini s. Joannis Hierosolymitani monasterium Viennense.

§. 6. In primis igitur commissionem priores Nostras literas exequendi ipsis archiepiscopis, et episcopis in Galliarum regnis uti a Nobis, et ab apostolica Sede specialiter deputatis attributam propter expositas Nobis rationes penitus, et omnino immutantes, ac de medio tollentes, perinde ac si in prioribus Nostris literis minime fuisset singulis venerabilibus fratribus Nostris archiepiscopis, et episcopis in Galliarum regnis, ac dilectis filiis eorum vicariis, et officialibus in spiritualibus, generalibus, nec non abbatibus jurisdictione quasi episcopali pollentibus, ac cathedralium ecclesiarum dignitatibus, et canonicis, aliisque personis in ecclesiastica dignitate constitutis earum Nostrarum literarum serie committimus, injungimus, et mandamus, ut ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios in simili ecclesiastica dignitate constitutos, seu constitutum specialiter ab eis, vel eo eligendos, seu eligendum priores, et præsentes Nostras literas legitime, ut moris est, solemniter publicent, seu publicet, et promulgatis utriusque ordinis incorporatione, et conditionibus, quibus illa peracta fuit, ordinem sancti Joannis Hierosolymitani, ac pro eo legitimos ejus procuratores in veram, realem, et actualem monasterii Viennensis, simulque omnium domorum, commendarum, præceptoriarum, ecclesiarum, non tamen parochialium, membrorum, et bonorum quorumcumque cujuscumque sint conditionis, et naturæ ad ordinem sancti Antonii hactenus pertinentium, et in Galliarum regnis existentium immittant, seu im-

mittat, immitti faciant, seu faciat, atque eis efficacis defensionis præsidio assistentes, seu assistens easdem priores Nostras literas juxta tamen præsentes ab omnibus, ad quos spectat, auctoritate Nostra inviolabiliter observari mandent, seu mandet; contradictores quoslibet cujuscumque status, ordinis, et præeminentiæ fuerint per sententias, censuras, et pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, et pœnas ipsas etiam iterate aggravando, invocatoque pariter ad hoc, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio.

Conceduntur æque cuncta alia loca. quæ fuerant unita monasterio s. Antonii.

§. 7. Porro ad alia modo expetita progredientes, cum sicut accepimus, monasterio sancti Antonii Viennensis prioratus sancti Antonii Marnantii vulgo Marnans denominatus alias a prædecessoribus Nostris auctoritate apostolica perpetuo fuerit unitus, ac forsan alia monasteria, præceptoriæ, prioratus, commendæ, aliaque loca in Galliarum regnis, quæ antea vel sancti Benedicti, aut aliorum regularium ordinum erant variis temporibus, diversisque ex causis a prædecessoribus Nostris eidem ordini sancti Antonii unita comperiantur, ne ob connexionem sancti Antonii cum Hierosolymitano ordine hæsitari contingat, peractas antea uniones resolutas fuisse, per præsentes expresse declaramus, tam illud sancti Antonii Marnantii, quam quæcumque monasteria, præceptorias, prioratus, commendas, aliaque loca olim quorumvis aliorum ordinum in connexione utriusque ordinis comprehendi, et quatenus opus sit, extincta, et abolita eorumdem monasteriorum, præceptoriarum, commendarum, prioratuum, aliorumque locorum in ipsis regnis primæva regulari qualitate, nullaque ratione habita causarum propter quas ordini sancti Antonii fuerant, ut præfertur, unita illa modo, et ex integro Hierosolymitano, et sancti Antonii unito ordini auctoritate Nostra unimus, annectimus, et incorporamus.

Consulitur personis qui ordini s. Antonii nomen dederant.

§. 8. Insuper, ut ii, qui ordinis sancti Antonii nomen dederant, et illum profitentes provectam assecuti sunt ætatem, habeant quoque aliquem honorificentiæ gradum, ad quem juxta merita, et labores adspirare valeant præcipimus modo, et statuimus, ut ambæ præceptoriæ de Roffers, et de Perpinian, quæ in sextodecimo ex enunciatis articulis, durante uniusque, qui modo moderantur, præceptoris vita, illis præservantur, deinceps et iis cedentibus, vel decedentibus una ex altera præceptoriæ aliis ejusdem ordinis sancti Antonii professoribus presbyteris in ordinem Hierosolymitanum adlectis, quamdiu vel unus superstes reperietur a dilecto filio abbate hactenus generali ordinis sancti Antonii quoad vixerit, conferri debeant, eodem vero abbate generali defuncto, ordo Hierosolymitanus superstites, qui erunt, presbyteros jam ordinis sancti Antonii alumnos iis præceptoriis pro tempore vacantibus recta agendi ratione præficiet. Qui autem eisdem præceptoriis pro tempore erunt moderaturi quemadmodum decet onera consueta subire, legata adimplere, ædes restaurare, prædia colere, et servare teneantur, atque ad effectum hujusmodi visitationi, et ordinationibus Hierosolymitani ordinis subjecti sint.

Præfinitur congrua parochialis juxta taxam synodalem in parœciis sæcularibus erigendis.

§. 9. Præterea cum in eisdem articulis sub numero nono, parochiales ecclesiæ sancti Antonii a præmissa unione exemptæ fuerint, atque ad sæcularem statum redactæ, nec non integrum onus eorumdem parochorum substentationi consulendi ab ordine Hierosolymitano in se susceptum noscatur, ideo per priores Nostras literas expresse demandavimus illas sæcularibus presbyteris juxta canonicas sanctiones cum omnibus earum respective bonis, redditibus, annuisque assignationibus, prout in enunciato articulo cautum erat, esse conferendas. Ne autem in dubium revocetur, Hierosolymitanum ordinem ad traditionem teneri bonorum, quæ cujuslibet parochialis ecclesiæ propria censeri possent, neve animorum dissidium aliquod suboriri contingat, antequam præfigatur quam summam onus ab ordine Hierosolymitano susceptum pertingere debeat, præsentium literarum vigore expresse declaramus, ac etiam statuimus, et præcipimus cuilibet ex futuris parochis parochialium ecclesiarum ad sæcularem statum redactarum Hierosolymitanum ordinem non quidem ad traditionem omnium bonorum teneri, sed quatenus vellet ultro illam, vel illarum partem aliquam tradere posse, verum quod compertum, absolutumque habendum erit illum ad annuam præstationem in summa juxta taxam synodalem, probatamque consuetudinem uniuscujusque diœcesis parochis ipsis pendendam obnoxium fore.

Declaratur quo modo professores ordinis s. Antonii exigere possint

§. 10. Ita quoque ad consulendum ordinis sancti Antonii professorum in Hierosolymitanum ordinem adscitorum indemnitati, quamvis ipsis jus aliquod

limenta ex bonis patrimonialibus, vel ratione sanguinis.

alimenta petendi ex bonis ante regularem professionem patrimonialibus, vel alias ratione sanguinis sibi ipsis delatis minime competere declaratum fuerit, nihilominus præmissæ declarationi adiicimus, eam fuisse, et esse animi Nostri sententiam, ut nil officeretur iis annuis assignationibus, quas ii, qui ordini sancti Antonii nomen dedere ante solemnem eorum professionem super patrimonialibus bonis sibimetipsis reservarunt, quin imo illas integras, et illæsas vigere præcipimus.

Quid de privilegiis, et oneribus ordinis s. Antonii sit sentiendum præfinitur.

§. 11. Cæterum cum ob unionem ipsam uterque ordo unum corpus constituat, non ideo intendimus ordinis sancti Antonii prærogativas, et privilegia a prædecessoribus Nostris concessa deleta, vel perempta fuisse, sed illa integre permanere, et permansura decernimus, ac si utrique ordini elargita fuissent. E converso vero unitus ordo utriusque munera complectens prout in prioribus Nostris literis statuitur incumbentia onera adimpleat, ac præcipue hospitalitatem juxta primævam ordinis sancti Antonii servet institutionem, quæ ad pauperes, et egenos igne sauciatos, et tactos excipiendos, alendos, et curandos fuit ordinata, et usque modo laudabiliter servata.

Præcedentium literarum observantia demandatur in partibus in quibus nihil fuit innovatum.

§. 12. Ac demum quemadmodum ipsas Nostras literas in reliquis innovantes eas juxta tamen præsentes in omnibus exequi præcipimus, et jubemus, ita magnam in spem, fiduciamque adducimur sub ejusmodi magni magistri ordinis Hierosolymitani provido, sagacique regimine, ac validissimo ipsius Ludovici regis præsidio ex unione ipsa novum utrique ordini accessurum decus, et ornamentum.

Omne juris remedium tollitur adversus novas literas.

§. 13. Præsentes autem literas, omniaque, et singula in eis expressa, et a Nobis præscripta, declarata, et concessa nulli subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio subjacere, suosque integros effectus sortiri, et obtinere debere decernimus, prout in prioribus Nostris literis illas valere decrevimus.

Illas exequendas esse præcipitur contrariis derogatis.

§. 14. Non obstantibus apostolicis constitutionibus, et cancellariæ apostolicæ regulis, ac omnibus, et singulis, quæ in prioribus Nostris literis non obstare voluimus, ac etiam ordinum, seu congregationum, quorum prioratus sancti Antonii Marnantii, et forsan alia monasteria, præceptoriæ, prioratus, commendæ, aliaque loca existebant, quovis titulo concessis privilegiis, indultis, et literis apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 15. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis etiam impressis, charactere alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio poenalis.

§. 16. Nulli ergo omnino hominum liceat, novam hanc paginam Nostræ commissionis, injunctionis, mandati, declarationis, unionis, annexionis, incorporationis, præcepti, statuti, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo septuagesimo septimo, septimo idus maii, pontificatus Nostri anno tertio.

CXXIX.

Dat. die 12. maii 1777. Anno III.

Denunciatio obitus Josephi I. Portugalliæ, et Algarbiorum regis.

Venerabiles fratres

Proemium.

§. 1. Quoniam de prævaricatoris semine omnes nascimur, propterea omnes mortis lege constringimur; et supremus ille opifex, qui omnes de una terra plasmavit, novit qualia, et quando conterat vasa. Igitur summi, ac præpotentis Dei voluntate, et collapsæ naturæ necessitate, effectum est, ut luctuosum spectaculum vobis hodie, venerabiles fratres, cogamur objicere.

Laudes regis fidelissimi.

§. 2. Amisimus carissimum in Christo filium Nostrum Josephum Lusitaniæ regem fidelissimum. Ille molesta diuturnaque captus ægritudine oculis fidei mortem respexit, cernensque proxime jam adfuturum, qui justitias etiam judicabit, inter aliorum lamenta, et ploratus ipse non indoluit, non animo concidit; sed impense se convertit ad ea corrigenda, quæ toto regni sui tempore censuit fuisse minus recte præsumpta,

collatisque cum piissima conjuge, regina consiliis, voluit, ut e custodia dimitterentur, qui diuturna oblivione inclusi detinebantur: inter quos egregius ille hierarcha fuit, quem per vim jampridem constrictum, et tamdiu ab ejus ecclesia sponsa desideratum, rex ab amaro exemit jugo: atque sacro pastorum ordini sic aliquo satisfecit honore, ut Bernardus nunc forsan repeteret: (a) *Tristitia nostra versa est in gaudium . . . sacerdotem Domini, in quem ausi sunt mittere manum, cum honore remittunt.* Alia quoque rex peregit, per quæ turbatam, convulsamque ecclesiarum dignitatem, et in eis levitarum munera comprehensa, in pristini status decorem restituit; hisque omnibus ostendit, quam recto fuerit corde, quantave semper religione flagraverit; nam quidquid a vetere disciplina corruptum interciderat, non adverso illi regis animo, sed nimiæ de proprio judicio diffidentiæ debet adscribi.

In extremo agone sanctæ Sedis jura magis magisque recognovit.

§. 3. Cum vero magis magisque sensus hebescere inciperent, accersiri ad se voluit archiepiscopum Petrensem, hujus sanctæ Sedis in Lusitania nuncium; ab eoque extrema pontificiæ benedictionis officia recepit. Quinimmo, ut ab eo novissime gesta animo suo consentire percipiamus, asserere convenit, tacite reipsa significasse (nam vi morbi lingua captus erat) sibi probatum non fuisse quidquid septemdecim abhinc annis in alium apostolicum nuncium fuerat nefarie commissum.

Quoad vixit in cremeutum catholicæ religionis præ corde habuit.

§. 4. Interea dum animæ suæ prospiceret, se aliorum orationibus commendaret, veniamque deprecaretur, publicam etiam utilitatem recogitans, principi filiæ suæ ornatissimæ, quam regnorum hæredem agnovit, præclara, et numquam intermoritura præcepta tradidit, quæ typis jam evulgata, splendidiorem regio nomini coronam imponunt: ut scilicet populos regeret in spiritu pacis, et lenitatis; temporalem, et æternam eorum felicitatem promoveret; divinarum legum servandarum curam gereret; veram religionem tueretur; ac semper imperium cum sacerdotio consociaret.

Obiit die 24 februarii 1777.

§. 5. His editis solidæ virtutis indubiis argumentis, rex Josephus longa infirmitate confectus, ineunte die vicesima quarta elapsi februarii ab hac sæculi contagione migravit. Ecquis jam illustrius documentum reliquit omnibus, qui populis præsunt, ut saperent, et intelligerent, neminem posse se ab omnipotentis imperio subtrahere, anxiumque dominationis exitum exerturos, si Ecclesiæ Christi sponsæ jura comminuerint?

Hæreditatem, et regni successionem filiæ transmisit.

§. 6. Ah! si tempus extincto regi datum fuisset perficiendi, quæ ad populorum tranquillitatem, et ecclesiastici ordinis decorem jam fuit aggressus; profecto regnum a trepidatione ad jucunditatem revocasset, benevolumque subditorum obsequium sibi comparasset; sed quod ipse non potuit, a dilectissima filia perficiendum confidit. Nos item acceptis humanissimis hujus literis, quibus obitum patris, simulque regni successionem sibi addictam nunciavit, cogitatione Nostra in eam conversa, statuimus a mœstitia temperandum; certo enim scimus castæ, integræque religionis fœminam in omni posteritate futuram esse veræ virtutis exemplar. Jamque studiose inhærens monitis a genitore injunctis, alium antistitem in suam restituit Sedem; pluresque extrahi jussit magnates, sacros ministros, et cujusvis ordinis detentos homines, qui sub ærumnarum acervo a florenti ætate usque ad senectam contabuerant. Hi, statim ut in aliorum conspectum prodire datum fuit, non secus ac gens nova, et populus redivivus, omnium oculos pervaserunt.

Jam conversa, et commutata Lusitanarum rerum facie, impetuque represso, quanta nunc animorum concordia, quanta populorum tranquillitas consequetur! Quæ erit imperantis celebritas! Quæ gloriæ ac felicitatis pro meritis remuneratio! Charitatis enim, atque concordiæ cupidos, et retinentes protegit, augetque mitissimus Dominus.

Fidelissima regni moderatrix unicam catholicæ fidei professionem in sui ditos admisit

§. 7. Sed amori pietatique obsequuta, haud neglexit fidelissima regni moderatrix pro sua propensione in justitiam voluntate animadvertere in aberrantes ac noxios, eosque in custodiam duci jussit; quos autem a sæculi potestate novit exemptos, archiepiscopo Petrensi constringendos reliquit, ac judicandos. Hujusce porro justitiæ, ac sacrarum legum cultus sicut sine religionis firmitate exerceri non potest, ita ex regia voluntate a longinquis Lusitaniæ regionibus aures Nostras percellit illud Theodosii Augusti, suorum-

---

(a) *Epist. CXXXVI. Tom. 1. Oper. col. 144. Edit. Paris. A. 1690.*

que in imperio collegarum celebratum edictum ad populum urbis Constantinopolitanæ, quo sancitum legimus: *Cunctos populos, quos clementiæ Nostræ regit imperium, in tali volumus religione versari, quam divum Petrum apostolum tradidisse Romanis, religio usque adhuc ab ipso insinuata declarat.* (1) Propterea ex rebus hactenus gestis consequuturum non dubitamus, ut ab illarum ditionum finibus plurimæ ejiciantur execrabiles lucubrationes, quæ venenatas opiniones insinuant; et dominantium majestati insidiosæ, omnium fere animos errorum fœditate contaminant. Nos certe ad id piissimam reginam adhortabimur, ac omnino confidimus Nostris suasionibus animum adhibituram, prout ab ea cum ipsius indolis præstantia, animi robur, et virtutis amplitudo, tum publica regni populorumque salus videntur postulare. Cuncta Nos invicem, quæ ad illius gloriæ, ac felicitatis incrementa pertinere, atque a Nobis conferri poterunt, summa semper fide, studio, benevolentiaque præstabimus.

Suffragia decernantur pro expiatione animæ defuncti regis.

§. 8. Enarratis jam his carissimæ in Christo filiæ Nostræ Mariæ Franciscæ inclytis regni exordiis, speratisque progressibus, nihil profecto ex ejus laudibus decerpi arbitramur, si easdem magna ex parte referamus erepto regi, qui cum ipsam ad pulcherrima quæque consectanda educasset, postremis etiam illis monitis voluit ad susceptum jam virtutis cursum adhuc magis inflammare. Quam ob causam cum dulcis sit Nobis illius commemoratio, minus graviter ferendum putamus desiderium de ipso Nostrum, neque tam dolendum esse de eventu omnibus constituto, qui ad vitam caducam producimur, quam, collatis una precibus contendendum, ut, quidquid in ipso vitæ exitu eluendum illi superfuit, et expiationis tempus contrahatur, et pœnarum ardor mitigetur: *Qui adhuc vivit*, ait Leidradus Lugdunensis, (1) *consideret unde possit prodesse mortuo, quia qui mortuus est, non eget infructuoso luctu, sed fructuoso suffragio.* Quapropter et privatim nos ipsi pro defuncti regis anima paternæ charitatis officium, quod nunc unicum illi reddi potest, persolvimus; et die post hanc tertia jam indicta, in pontificio Nostro sacello solemni ritu vobiscum persolvemus, ut Nostris, vestrisque suffragiis regem mortali exutum corpore, terrenisque compagibus, misericors Dominus inter beatissimas optimorum hominum animas, in cœlestem conventum recipiat.

(1) *Leg. I. tit. I. lib.* 1 *cod. Justinian.*

(1) *Epist.* 2. *ad Soror.*

CXXX.

Dat. die 4. junii 1777. Anno III.

Dismembratio duorum conventuum provinciæ Mediolanensis tertii ordinis sancti Francisci, eorumque unio provinciæ Bononiensi ejusdem ordinis.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam

Proemium.

§. 1. Quæcumque ad salutarem religiosorum ordinum, familiarumque observantiam sive inducendam, sive confirmandam, sive provehendam, tam a fundatoribus suis, quam ab instauratoribus olim provide, sapienterque statuta, atque diuturna experientia etiam proficua fuisse constat, non est ambigendum, quin eadem tot, tantisque rerum, ac temporum vicissitudinibus obnoxia sint, ut aliter, quam ab initio fuerunt, deinceps statui, atque ordinari oporteat.

Expositio precum porrectarum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius modernus procurator generalis tertii ordinis sancti Francisci, quod licet duo conventus, unus nempe beatæ Mariæ virginis Lauretanæ intra, et alter sancti Antonii abbatis respective nuncupati extra civitatem Placentinam existentes ad provinciam Mediolanensem dicti ordinis pertineant, et ab ea modo possideantur, nihilominus, cum in maximam regularis observantiæ, et conventuum hujusmodi utilitatem cessurum fore dignoscatur, si conventus prædicti a memorata provincia dividantur, et provinciæ Bononiensi ejusdem ordinis aggregentur, atque uniantur; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor, et leges concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque eccle-

siasticis censuris, sententiis, et pœnis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore consentes, hujusmodi supplicationibus inclinati a dicta provincia Mediolanensi tertii ordinis sancti Francisci prædictos duos conventus beatæ Mariæ virginis Lauretanæ intra, et sancti Antonii abbatis extra civitatem Placentinam, ut præfertur existentes, illorumque ecclesias, fratres, ac bona tam mobilia, quam immobilia, nec non fructus, redditus, et proventus, jura, obventiones, et onera illis annexa, et connexa auctoritate apostolica tenore præsentium dividimus, dismembramus, et in perpetuum separamus, conventusque beatæ Mariæ virginis Lauretanæ, nec non sancti Antonii abbatis hujusmodi sic per præsentes a prædicta provincia Mediolanensi divisos, et separatos cum omnibus, et singulis illorum bonis mobilibus, et immobilibus, nec non fructibus, redditibus, et proventibus, juribus, obventionibus, ac oneribus illis annexis, et connexis eidem provinciæ Bononiensi ordinis hujusmodi auctoritate, et tenore prædictis unimus perpetuo, et incorporamus; ita ut supradicti duo conventus postquam uniti, et incorporati fuerint, omnibus, et singulis privilegiis, prærogativis, et honoribus, quibus alii conventus provinciæ Bononiensis prædictæ tam de jure, usu, et consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere possunt, ac poterunt in futurum, pari modo uti, frui, et gaudere libere, et licite possint, et valeant auctoritate, et tenore similibus concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac ordinis, et provinciarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die quarta junii millesimo septingentesimo, septuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno tertio.

CXXXI.

Dat. die 25. junii 1777. Anno III.

Præscriptio regularum, quæ servari debent in promovendis clericis Melitensis diœcesis.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Ea semper fuit Romanæ Ecclesiæ, summorumque pontificum prædecessorum Nostrorum solicitudo indeficiens, ut in omnibus ecclesiis longe, lateque per universum terrarum orbem diffusis omnes unum, idemque pacis, et charitatis vinculum uniret, atque devinceret. Quia vero inimicus homo inter Dominicam segetem assuevit superseminare zizaniam; hæc ideo apostolica Sedes in id unum impensa sua omnia intendit studia, ut quantum in Domino potuit, evellerentur. Illud tamen non voluit magnopere non dolere, plerumque inter clerum, et populum excitata fuisse jurgia, motasque contentiones, ab iis, qui pro sui status conditione potius compescere, et extinguere debuissent.

Memorantur abusus irreptos circa admissionem clericorum ad statum ecclesiasticum non servatis præscri-

§. 2. Dudum siquidem accepimus non sine intimo cordis dolore in insula Melitensi plurimos irrepsisse abusus, eosque forsan originem habuisse ab excessivo clericorum numero in sortem Domini adlectorum absque ullo requi-

ptionibus s. Tridentinæ synodis.

sitorum examine a sacro concilio Tridentino præscriptorum; quamobrem eorum dem clericorum plurimi conjugalem statum assumebant, ut se, suaque bona fori privilegio tuerentur. Neglecta prorsus Tridentina lege in cap. VI. sess. XXIII. de reformat., et constitutione ibidem innovata san. me. Bonifacii VIII. prædecessoris Nostri in cap. unic. de cleric. conjug. in VI. rem veram probavit eventus: mota quippe nuperrimis hisce temporibus populi colluvie adversus equites, et prædefunctum magnum s. religionis magistrum, occupataque arce, in ipsa non paucos admemoratos fuisse fautores clericos, qui pacis, et concordiæ conciliatores esse debuissent pro certo comperimus, et ingemuimus. Hinc multiplex clericorum numerus sicuti intollerabilem reddidit magno magistro Melitensi personalem immunitatem, ita æque intollerabilem eidem reddidit ecclesiarum, aliorumque sacrorum locorum immunitatem, unde non semel, sed iterum, ac pluries ad apostolicam Sedem delatæ sunt querelæ, et ad Nos novissime, ut præsentibus malis, et in dies impendentibus periculis apostolica auctoritate occurrere dignaremur.

Præcipitur neminem admittendum esse ad tonsuram nisi ad titulum beneficii, et cappellaniæ respondentis taxæ patrimonii sacri.

§. 3. Quapropter Nos, quibus maxime cordi est, antiqua decreta ad pristinam revocare observantiam, ne in clerico abusus exoriantur, exorti vero convellantur omnino, et hospitalis etiam militiæ sancti Joannis Hierosolymitani, cujus generosi milites ab omnium finibus pyratas hilariter, professo ex voto sanguine arcere conantur, nec non dilecti filii Nostri magni magistri religionis, quem summa benevolentia complectimur, ejusque sæcularis fisci indemnitati consulere, ut omnis in posterum jurgiorum, litium, et æmulationum inter clerum, et sæcularem potestatem præcidatur occasio quoad utramque immunitatem tum personalem, cum localem, hæc quæ sequuntur omnino observanda præcipimus, decernimus, et mandamus. Itaque ad cœrcendam in futurum clericorum licentiam in usu fori, contrahendamque ipsorum multitudinem de apostolicæ auctoritatis plenitudine, et ex certa scientia innovantes, et approbantes decreta alias pro insula Melitæ edita a congregationibus Concilii, et Immunitatis ea observari expresse præcipientes in omnibus, in quibus præsentibus Nostris literis non adversantur districte jubemus, ut nullus ad primam tonsuram promoveri possit, nisi ad titulum beneficii, vel cappellaniæ perpetuæ, quorum fructus, detractis oneribus, medietatem saltem æquent taxæ in diœcesi constitutæ pro eorum patrimonio, qui ad sacros ordines sunt promovendi.

Taxa synodalis ampliatur ad ducatos octaginta.

§. 4. Quia vero non ignoramus taxam patrimonii sacri perexiguam esse in diœcesi Melitensi vix ascendentem ad ducatos quadraginta quinque, qui ferme pro medietate decrescunt a ducatis Neapolitanis, clericorum indigentiæ, et decori providere volentes, mandamus venerabili fratri Nostro episcopo Melitensi, ut cum dilecto filio in insula inquisitori, taxam patrimonii pro sacris ordinibus ad medietatem pro prima tonsura a ducatis quadraginta quinque plusve, minusve ad ducatos octaginta Melitenses adaugeant. Sedulo tamen vigilent, curentque maxime, ne consanguinei, universa bona clerico ordinando in patrimonium constituant, sed ita temperentur patrimoniorum constitutiones, ut ex communi asse tantum sit, reliqui pro fratribus, sororibus, aliisque, ut ex eo singuli ali, dotarive possint.

Episcopus, constitato de utilitate ecclesiæ, et reporta te licentia congregationis Concilii aliquos ad tonsuram promovere potest pensione adsignata respondente medietati taxæ synodalis.

§. 5. Episcopus adolescentes aliquos, qui modestam indolem, et ingenium non mediocre sortiti sunt, ad primam tonsuram promovere poterit, si id Ecclesiæ utile duxerit, etiam sine beneficio, aut cappellania, dummodo de utilitate Ecclesiæ quandocumque constare fecerit apud congregationem Concilii, et pensionem ecclesiasticam perpetuam in promptu habeant, quæ medietatem taxæ in diœcesi statutæ pro patrimonio sacro saltem attingat, aut integrum habeant patrimonium diligentissime ab ipso episcopo tabulis, probationibusque concludentibus confirmandum. Quod in posterum ad præcavendas fraudes, nonnisi super bonis stabilibus, et super annuis certis, seu fixis redditibus constituendum esse volumus, nec minoris sit redditus ducatorum octaginta Melitensium.

Nemo promoveri poterit, qui post decimum ætatis annum per triennium ecclesiæ non inservierit.

§. 6. Præter requisitum beneficii, cappellaniæ perpetuæ, pensionis ecclesiasticæ perpetuæ modo prædicto, aut integri patrimonii, non liceat episcopo primam ulli conferre tonsuram, nisi adolescens, postequam exegerit decimum suæ ætatis annum, per triennium manserit in aliquo seminario, aut convictu ecclesiastico, aut saltem si id fieri nequeat, per triennium habitum clericalem induerit de episcopi licentia, atque in toto triennio, vel in majori saltem parte anni, in festis de præcepto cujuscumque anni ecclesiæ inser-

vierit, modo, et forma sibi ab episcopo præfiniendis, supputato isto ecclesiæ servitio cum mora, quæ in seminario, aut ecclesiastico convictu trahenda fuisset. Quisquis adolescens possit, si velit, ad publicam aliquam sese conferre universitatem scholarum, et studiorum causa, imputato sibi tempore moræ in ea universitate in requisitum ad primam tonsuram consequendam. Dummodo tamen de licentia episcopi id fecerit ejus literis commendatitiis episcopo loci sistat, a quo sibi ecclesiam, cui inserviat per triennium, aut per majorem triennii partem, eodem prorsus modo, quo propriæ diœcesis inservisset ecclesiæ, adsignari postulet, hac item adjecta conditione, ut ad primam tonsuram non admittatur, nisi reportatis ab episcopo loci, in quo manserit, testimonialibus literis de vita, et moribus, in quibus etiam testimonium perhibeatur, se, quæ sibi præcepta sunt, implevisse, quibuscum poterit ordinari.

Eximuntur ab hoc onere qui ad beneficium ecclesiasticum vocati sint ex lege fundationis.

§. 7 Ab hujusmodi obligatione ii tantum excepti censeantur, qui ex lege fundationis ad beneficium aliquod, seu cappellaniam vere ecclesiasticam vacantem sunt vocati. Hi prima tonsura poterunt initiari, quin præscriptas regulas observaverint, delationis nempe habitus clericalis, frequentiæ scholarum et sacramentorum, et triennalis ecclesiæ servitii, tametsi præfinitam ætatem non habeant, dummodo patroni nominationem, et præsentationem ad eadem deferre nequeant ultra tempus a sacris canonibus præstitutum, et dummodo beneficii, et cappellaniæ hujusmodi redditus, detractis oneribus, medietatem æquent saltem fructus patrimonii sacri juxta taxam in dioecesi constitutam.

Dum plures ad idem beneficium vocati sunt, omnes ad tonsuram sunt admittendi.

§. 8. Cum autem contingat non raro, ut ad unum, idemque beneficium aut ecclesiasticam cappellaniam multi ex testatorum voluntate sint vocati, compellaturque proinde episcopus omnes ad primam promovere tonsuram, ut omnes beneficii, et cappellaniæ ecclesiasticæ capaces efficiat, unde inutilis exurgit clericorum numerus, cum beneficium, aut cappellania nonnisi uni possit conferri. Volumus ideo, ut in posterum, quoties id contigerit, quicumque, qui se ad beneficium, seu cappellaniam jus habere putaverit, congruo tempore coram ordinario sistat, qui si eum idoneum quoad scientiam, et bonos mores, omnique canonico impedimento carere compererit, literas testimoniales ejusdem favore super idoneitate ad primam tonsuram expediat, quarum vigore jus habere prætendens, etiam in concursu clericorum, causam agere valeat coram judice ecclesiastico, perinde ac si prima tonsura fuisset initiatus, quæ demum illi conferri poterit, qui in causa victor extiterit, et per judicis sententiam, beneficium, seu cappellaniam obtinuerit, reputabiturque ad hunc effectum arctatus, ut arctatorum privilegiis potiri valeat.

Tonsurati promoveri ad sacros ordines non possunt nisi sedulam deinde operam navaverint studiis, et pietatis exercitiis.

§. 9. Postquam vero prima tonsura fuerint initiati, ad sacros ordines promoveri non poterunt, nisi toto tempore, quod illam inter, et alios ordines intercedit, sedulam, diligentemque studiis, et pietatis exercitiis operam navarint. Quamobrem morari debebunt aut in aliquo seminario, aut ecclesiastico convictu, vel per majorem anni partem juxta alias præmissa ecclesiæ illi inservire, quæ ab ordinario fuerit eis adsignata, et legem implere servitii. Quod si in aliqua universitate, aut alio in loco scholarum, et studiorum causa manserint, implere omnino debebunt quæcumque supra præcepta sunt, et implenda ab iis, qui prima tonsura initiari debent.

Item evincere tenentur servas se requisita circa habitum et tonsuram.

§. 10 Omnes clerici sive in prima tonsura, sive in minoribus ordinibus constituti initio cujuscumque anni teneantur viridicis probare documentis coram episcopo se sacri concilii Tridentini requisita servasse circa habitum, et tonsuram clericalem, aliaque omnia superius constituta, testificatione scilicet proprii rectoris, et superioris seminarii, aut convictus ecclesiastici, et quoad illos nec in seminario, neque in convictu permanentes, testificationibus parochorum, et rectorum ecclesiarum, quibus adscripti sunt, circa delationem habitus, et tonsuræ clericalis sacramentorum frequentiam, et ecclesiæ servitium; nec non testificationibus ludimagistrorum, aut lectorum circa continuationem scholarum, et studiorum, ac delationem habitus, et tonsuræ clericalis. Districte proinde episcopo præcipimus, ut in sacrario ecclesiæ cathedralis ab omnibus facile inspiciendam et commode legendam retineat appensam tabellam requisitorum numerum juxta præmissa, et clericorum nomina præseferentem, et secundum illam perpensis, libratisque testificationibus sibi a clericis initio cujuscumque anni exhibendis, quæ in propria cancellaria adservari debebunt. Eos ab albo deleat, quos requisita omnia non observasse

compererit, iis dumtaxat scriptis remanentibus, quos eadem punctim observasse constiterit. Quibus proinde quotannis fratris declarationem scriptam tradere teneatur, ut sine contentione omnibus clericalibus privilegiis potiantur. Queis nullo modo ii clerici, sive prima tonsura, sive minoribus ordinibus initiati gaudebunt, qui ob neglectam requisitorum observantiam fuerint e tabella in sacrario retinenda expuncti, et memorata episcopi declaratione destituti.

Prohibetur ne literæ dimissoriales concedantur causa beneficii, aut cappellaniæ, nisi nominatio facta fuerit a majori patronorum numero.

§. 11. Interdicimus ne in posterum vicarii capitulares literas dimissoriales concedant laicis, licet vere arctatis causa beneficii, aut cappellaniæ vere ecclesiasticæ, aut prima tonsura initiatis qui fuerint ob beneficium aliquod, aut cappellaniam, quæ certum ordinem requirant, præsentati, absque consensu majoris partis capituli referendo in actibus capitularibus, eliciendo per majorem partem suffragiorum calculandorum juxta morem, nec non cum expressa conditione, quod in utroque casu, qui promoveri postulat, alias a decessore episcopo non fuerit rejectus. Quod si de personis agatur, quæ vere arctatæ secundum præmissa non sunt, ejusmodi dimissoriales literæ, nec post annum quidem luctus ecclesiæ concedantur absque expressa congregationis sacri concilii Tridentini interpretis facultate.

Sanctiones pœnales.

§. 12. Ut autem omnia quæ hactenus in Domino salubriter constituere studuimus, plenarium suum consequantur effectum, decernimus, ut quicumque contra formam præmissarum nostrarum ordinationum, sive ad primam tonsuram, sive ad minores, sive ad altiores ordines fuerit deinceps promotus, præter recensitas poenas ab exercitio ordinis sibi collati perpetuo sit suspensus. Episcopus vero, qui eum ordinaverit, per annum a collationis ordinum, et pontificalium exercitio suspensus remaneat.

De fori privilegio.

§. 13. Ne vero, quas ob adauctum clericorum numerum, præcidere apostolica Nostra auctoritate intendimus, contentiones in futurum reviviscant, mandamus, ut in posterum, exceptis veris clericis, qui requisita habent a sacris canonibus præstituta; personis religiosis utriusque sexus, quæ propriæ religionis habitum induunt, tametsi extra claustra ex superiorum auctoritate ad necessaria munera obeunda morentur, veris, et actualibus episcopi familiaribus, cursoribus, seu, ut ajunt, alariis curiæ episcopalis, ac denique clericis conjugatis, cum infrascriptis declarationibus, qui omnes fori privilegio potiri debent, nullus alius, se a foro laico immunem esse, aut exemptum prætendere valeat. Quoad clericos autem conjugatos, qui requisita habent a concilio Tridentino præfinita ses. XXIII. cap. IV. de reform. artes mechanicas, et negotia clericali statui indignas non exercentes, ii fori privilegio gaudere quidem debebunt, sed in iis solum causis pure criminalibus, pro quibus criminaliter agitur, non autem in aliis, quæ partium interesse respiciunt, quæque in forma judicii civilis pertractantur, sicuti in omnibus aliis causis civilibus, quæ a laicis judicibus erunt cognoscendæ, et definiendæ; qui tamen super bonis tantum executionem judicatorum peragere poterunt.

De exemptione a vinculis ob deficientam bonorum.

§. 14. Nullus autem ex bonorum deficientia in vincula coujiciatur, sine præcedenti judicis ecclesiastici exequatur, quod non erit denegandum; sed ut ejusdem clerici conjugati fori privilegio pacifice potiantur, jubemus, ut ipsi curent omnino quotannis legittime coram episcopo probare, se conciliaria omnia requisita servasse, ut scriptam declarationem gratis concedendam reportare possint.

Qui crimen assassinii patraverit omni fori privilegio privatur.

§. 15 Eorum vero uxores, et filii, sive constante, sive soluto matrimonio nullo prorsus gaudeant fori privilegio; si clericus, aut quævis alia persona ecclesiastica assassinii, quod absit, crimen admiserit; si judex laicus in rei capturа pervenerit, eumque in carceribus laicalibus retineat, nomine ecclesiæ, conficiatque processum, debebit ante sententiam, ejusque executionem, declarationem judicis, et curiæ ecclesiasticæ super assassinii qualitate ab eadem vulgandam omnino præstolari, perpenso processu curiæ laicæ, servatis servandis, et audito, defensoque reo. Ideoque judex laicus intra quatuor menses judici ecclesiastico processum ipsum exhibere teneatur. Episcopus ad sui, suæque curiæ servitium decem cursores, seu alarios retinere poterit, quibus arma a legibus, et constitutionibus non interdicta deferre permittatur, dum cursoris munere funguntur, et eorum nomina describenda erunt in tabella, quæ continuo appensa retineri debebit in cancellaria episcopali in loco, e quo commode ab omnibus intervenientibus videri, et nomina descripta legi queant. Hujusmodi alarii durante officio, et exercitio quoad proprias personas fori privi-

legio gaudeant in causis civilibus mixtis, et criminalibus, pro quibus poena ultimi supplicii, aut triremium non est infligenda, et si aliquando contingat in causis cursorum a sententia episcopi esse appellandum ad Sedem apostolicam, et congregationem Immunitatis appelletur, quæ vel alios deputabit judices in partibus ad causam finiendam, vel ipsa judicium dabit, prout ei expedire videbitur.

In cancellariis episcopalibus uti præcipitur ministris clericis.

§. 16. Ad contrahendum item, quoad fieri potest, exemptorum numerum volumus, ut deinceps episcopus pro suæ cancellariæ ministris utatur clericis, quod si tales non habeat, qui obeundo muneri præponi valeant, laicis uti poterit, inter quos solus cancellarius, seu primus officialis fori privilegio, durante officio, gaudebit, et præter hunc, ac veros actuales familiares, et cursores nullus alius laicus, et quibusvis patentibus literis muniti, quocumque nomine, et titulo fori privilegio perfruentur.

Consulitur immunitati ecclesiasticæ, et eliminantur abusus.

§. 17. Sed quamvis saluberrimis hisce Nostris ordinationibus, omnibus propemodum abusibus in Melitensi diœcesi vigentibus ex multiplici clericorum numero occurrisse videamur; haud tamen satis, et illis occurrisse putamus, qui ab ecclesiarum, et sacrorum locorum immunitate originem ducunt. Cum enim plerumque scelesti, perditique homines causam facilius delinquendi ex præsenti spe confugii, et ecclesiarum proximitate desumant; idcirco, ut et crimina coerceantur, et ut in flagitiosos homines digne, ut oportet, animadvertatur de apostolicæ potestatis plenitudine sequentes regulas pro immunitate locali in posterum observandas præscribimus.

Quomodo sit procedendum in extractione reorum a loco immuni.

§. 18. Si quis laicus reus excepti delicti in locum immunem confugerit instante sæculari magistratu, eum judiciis ad capturam de licentia episcopi, aut vicarii generalis extrahatur a loco immuni cum præsentia personæ ecclesiasticæ ab ipsis deputandæ, et curiæ sæculari tradatur, præstito juramento in scriptis retinendi reum nomine ecclesiæ, eumque reddendi in casu, quo ab episcopo illum ecclesiastica immunitate gaudere decisum fuerit, et reo non reddito, episcopus contra sæcularem magistratum ad canonicas pœnas procedat, veluti contra ecclesiasticæ immunitatis violatorem. Quod si postulata, modo quo supra, licentia extrahendi denegetur; liceat judici laico, absque censurarum timore, reum a loco immuni extrahere, eumque, facta, ut supra, jurata declaratione episcopo transmittenda, retinere, proviso, ne scandala oriantur.

De modo procedendi contra reos in laicales carceres detrusos.

§. 19. Reo in laicales carceres detruso, studeat judex sæcularis inter quatuor menses processum informativum super crimine omnino conficere, et episcopo exhibere, qui intra mensem super immunitate pronunciet, ecclesiastica nec ne reus immunitate fruatur, satque eidem erit episcopo, ut reum ecclesiastico confugio non gaudere sententiam dicat; si ad torturam indicia concurrant, statim ac episcopus reum ecclesiastica immunitate non gaudere pronuntiaverit, obligatio ab iudice laico in actu consignationis facta cessabit quæ e contra rursus modo, quo supra, facienda erit, reddendi nempe reum ecclesiæ, si iste in suis defensionibus super qualitate excepti delicti indicia purgaverit; et super hoc ipsius judicis laici conscientiam graviter oneramus. Ab ejusmodi vero episcopi judicio nullum competere recursum decernimus, præter quam si ad Sedem apostolicam, et congregationem Immunitatis deferatur, quæ si expedire videbitur, vel pro impinguatione processus, vel alterius confectione respondebit.

Enumerantur qui excludantur a beneficio immunitatis ecclesiasticæ.

§. 20. Hi vero, qui sequuntur, nulla in posterum ecclesiastica immunitate fruantur, nimirum incendiarii, qui scilicet dolo malo, et data opera ignem injecerint, injicereve fecerint in quamcumque ecclesiam, locum sacrum, quascumque domos tam in civitatibus, et locis habitatis, quam extra sitas, in tuguria, domorum instar constructa, in armenta, vineas, sata, oliveta, sylvas, sive in quemcumque alium fundum cultum, fructiferum, arboribusque consitum. Recaptatores, ii nempe, qui vi, doloque de loco ad locum, viros, ac mulieres abducunt, et custodiunt, ut pecuniis sese redimant, atque etiam ii, qui nuncio pecunias, aliaque postulant, comminata morte ni fecerint, dederintve. Quemadmodum, et qui scienter dolo malo, et nocendi animo venenum componunt, vendunt, propinant, tametsi ejus, cui propinatum est, mors sequuta non fuerit, nec forte fortuna ab eo deglutitum, sicuti grassationem mandantes, mandatum exequentes, auxilium, consiliumve dantes, præbentesque, quantumvis mors sequuta non fuerit, dummodo tamen ad actum proximum deventum sit, ad insultationem scilicet, et vulnus: similiter et grassatores, latronesque viarum tum publicarum, cum

vicinialium, etiam pro prima vice, seu primo pro crimine hujusmodi ab aliquo commisso nulla licet spoliati noxa intercesserit; qui noctu clavibus adulterinis, aliisque id generis instrumentis januas domorum, officinarum, tabernarum, promptuariorum aperiunt, aut seras disrumpunt, incendunt, aut per tecta, fracturas murorum, et fenestras intrant, totamque rerum quantitatem furantur, ut secundum juris dispositionem, et municipales sanctiones capite sint plectendi; ita et qui noctu sese falso justitiæ ministros esse jactantes ad domorum portas sibi aperiendas habitatores cogunt, intrant, furantur, vimque inferunt mulierum inibi habitantium honestati. Cædularum, et aliarum scripturarum, sacrarum ædium, publicarumque nummulariarum falsificatores, nec non ordinum quibuscumque in aliorum perniciem, et bonæ fidei detrimentum, alienam in publica nummularia depositam exigunt pecuniam, atque etiam mercatores fraude decocti, qui decoctionem simulantes in creditorum fraudem bona sua abducunt, occuluntque; thesaurarii, aliique publicæ pecuniæ receptores furtum committentes, pro quo de jure ultimo supplicio sunt afficiendi. Ita qui alicujus nummulariæ publicæ præsunt arcæ officiales, et ministri, qui tantam auferunt pecuniam, ut pœnæ ordinariæ fiant obnoxii, nec non pignorum conservatores, omnes officiales, et ministri publicorum montium, qui pignora in ea abripiunt quantitate, ut eadem poena sint plectendi, sicuti publici arcarii universitatum, pecuniam ex arca publica detrahentes in ea summa, ob quam memorata pœna digni fiant. Majestatis Dei in primo et secundo capite; in quo quidem secundo capite, quoad personales injurias, quibus afficiuntur ministri, et officiales officii causa, ii tantum comprehensi censeantur, qui personali non verbali injuria eos inurunt, officiales, et ministros, qui justitiæ administrationi præsunt, exercentque jurisdictionem sibi a principe demandatam. Extrahentes, aut extrahere facientes reos ab ecclesia, aut quovis alio loco immuni, qui in ecclesiis, cœmeteriis, aliisque locis immunibus homicidia, membrorum mutilationes, aliaque crimina perpetrant, quæ de jure communi, vel capitis, vel triremium poena plectuntur. Ii, qui ab ecclesiis, locisque immunibus egressi eadem delicta committunt.

De iis qui abutuntur confugio, et arma deferant in loco immuni.

§. 21. Qui confugio abutuntur etiam pro prima vice, ab eo, jubente episcopo extrahentur, eodemque mandante, in aliam transferantur ecclesiam, quin sub pœna violatæ immunitatis a judice sæculari rei valeant in minimo molestari. Reis tamen ipsis indicetur, quod si pro altera vice confugio abutentur, episcopus ad declarationem procedet, se non amplius ecclesiastica immunitate esse potituros. Curent omnino episcopus, vicarii, aliique locorum in diœcesi ecclesiastici superiores, ut a confungientibus ad ecclesias, et loca immunia statim auferantur arma, implorato, si opus fuerit etiam auxilio curiæ sæcularis, quæ si apud ecclesiasticos superiores instet, ut ab ecclesiis quoque, locisque immunibus ejusmodi auferantur arma, facultas extrahendi cum interventu personæ ecclesiasticæ concedatur. Si denegetur, magistratui sæculari eadem extrahere liceat; et quæ ablata sunt a superioribus ecclestiasticis laico magistratui tradantur, protestatione præmissa a persona ecclesiastica facienda ad formam cap. prælatis de homicid. in VI.

De perquisitionibus faciendis in loco immuni.

§. 22. Quod si in ecclesia, aliove loco immuni, perquisitio facienda sit de furto, de scripturis, de pecuniis, deque aliis rebus a contumacibus occultatis, et ad fiscum quoquomodo pertinentibus ab ejus ministris, reticito loco, præciso ab episcopo, aliisque superioribus ecclesiasticis, perquirendi facultas impetretur, haud quaquam ab eis denegánda (sanctimonialium cœnobiis, et mulierum conservatoriis exceptis) eaque obtenta, perquisitio fieri poterit cum præsentia personæ ecclesiasticæ, atque inventæ res furto ablatæ, et id generis alia præmissa protestatione a persona ecclesiastica, ut supra facienda extrahi ab ecclesia poterunt, et curiæ laicæ consignari, quæ per se sola ad perquisitionem et extractionem procedere valebit, si a superioribus ecclesiasticis petita facultas denegabitur: sanctimonialium tamen cœnobiis, et mulierum conservatoriis semper exceptis.

De loco immuni, et extensione immunitatis

§. 23. Loca vero, quæ in posterum ecclesiasticæ immunitatis beneficio gaudebunt, sunt, quæ sequuntur. Omnes ecclesiæ parochiales, earumque filiales, in quibus animarum cura exercetur: aliæ vero erectæ in civitatibus, et oppidis eæ dumtaxat immunitate fruantur, in quibus sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum asservatur, prout etiam existentes extra civitates, et oppida, in quibus pariter sacrosanta synaxis retinetur. In ejusmodi autem ec-

clesiis sive intra, sive extra civitates, et oppida sitis, non ultra beneficium asyli protendatur exterius quam ad atrium muro, porticibus, scholis, januis anterioribus, et lateralibus circumdatum, nec ultra anteriorem earumdem ecclesiarum faciem, cappellæ, et oratoria in privatorum domibus extantia, turris campanariæ ab ecclesiis, ipsarumque mœnibus separatæ, horti, viridaria, aliaque ecclesiarum, religiosarumque domorum loca, quæ mœnibus non sunt circumdata, nec in clausura comprehensa, immunitate non gaudebunt, neque pariter apothecæ, et domus ecclesiarum, monasteriorum, aliarumque religiosarum habitationum parietibus hærentes quamvis internam cum ipsis communicationem habeant, dummodo tamen clausuræ partes non censeantur, parochorum tamen domus, et eorum ecclesiasticorum, qui ecclesiarum custodiæ præsunt. Si ab ipsis non ab aliis inhabitentur, et proximam habeant interiorem cum ecclesiis communicationem sacri jure perfruantur asyli, licet per januam egressum in viam publicam habeant. In insula denique Melitensi futuris temporibus constitutiones felicis recordationis Gregorii XIV = Cum alias = Benedicti XIII = Ex quo divina disponente clementia = atque Clementis XII. = In supremo justitiæ solio = prædecessorum Nostrorum quoad homicidia, et immunitatem localem in iis, quæ Nostris hisce ordinationibus non adversantur, locum habeant.

De clericis in seminariis recipiendis.

§. 24. Verum tamen quia a corruptis nonnullorum ecclesiasticorum moribus quandoque malorum semina in laicos recidunt, ut nequeant ab ipsis exempla perspici virtutis. Idcirco venerabilem fratrem Nostrum episcopum Melitensem serio monemus, ut in clericorum seminarium omne suum impendat studium secundum dispositionem sacri concilii Tridentini sess. XXIII. cap. XVII. de reform:, in eoque nonnisi eos recipiat adolescentes, qui laudabiles mores præferant, et quorum indoles, et voluntas spem afferat, ipsis ecclesiasticis ministeriis perpetuo esse inservituros. Quod si seminarium sufficientibus non sit ditatum proventibus, ecclesiasticos ei addicat redditus, impetrata a Nobis facultate, et si redditus applicandi ad sacram religionem pertinebunt, accedente expresso magni magistri consensu.

Interpretatio literarum in facilioribus materiis episcopo committitur, in reliquis sanctæ Sedi reservatur.

§. 25. Cupientes autem, ut omnia prorsus, quæ hactenus statuimus pro felici Melitensis ecclesiæ regimine, proque arctius servando inter utramque potestatem pacis foedere, executioni mittantur, omnisque auferatur, longiorum, quoad fieri potest, disputationum causa, mandamus, ut dubia, quæ in posterum circa præmissas ordinationes exorienter in iis, quæ facilioris sunt examinis, ac celerem postulant executionem ad venerabilem fratrem Nostrum Melitensem episcopum, ac dilectum filium in eadem insula inquisitorem, eorumque successores deferantur, quibus præsentis Nostri motus proprii omnimodam executionem perpetuo committimus et demandamus; quique simul super ipsis dubiis de jure respondebunt, eorumque decretis, omni prorsus appellatione remota, standum esse decernimus. In aliis vero gravioribus, difficilioribusque quæstionibus ad Sedem apostolicam recursum habendum esse præcipimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 26. Decernentes ipsas præsentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque, et non aliter in præmissis omnibus, et singulis contentis in præsentibus Nostris literis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ingnoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 27. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa, ac individua, non autem per clausulas generales idem importantes expressio, seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret,

illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima quinta junii millesimo septingentesimo septuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno tertio.

CXXXII.

Dat. die 16. martii 1777. Anno III.

Suppressio duorum monasteriorum ordinis Carthusianorum in Helvetia, ac unio eorumdem collegio studiorum in pago Friburgi Lausanensis diœcesis in Helvetia cum diversis pactis, et conditionibus.

Pius episcopus
servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium

§. 1. Catholicæ religionis incolumitati summopere interest, ut collegia in quibus adolescentes pietate, ac scientia imbuantur ubique locorum, maxime vero in regionibus hæretica labe infectis instituantur, et floreant. Nos igitur qui universo Ecclesiæ regimini licet immerito præsidemus, ne hoc saluberrimum opus re familiari pessumdata, ac deficiente eventu, collabi, aut inutile fieri contingat sedulo providere satagimus.

Status collegii describitur.

§. 2. Nuper quidem accepimus collegium studiorum in pago Friburgi Lausanensis diœcesis in Helvetia jamdudum institutum, et pro catholicæ religionis puritate servanda, eaque propaganda admodum opportunum postquam illius, et ecclesiæ s. Michaelis archangeli illi annexæ regimen non uni regulari cœtui personarum in communi viventium, sed singularibus ecclesiasticis personis commissum fuit in illud incidisse discrimen, ut illius annui redditus ad sustinendas assignationes, et onera, quibus modo illud gravatur impares prorsus comperiantur, et ne regiminis varietate secuta studia deficerent ex publico ærario cui jam collegium illud ex vetusto jure in conspicua summa debitor censebatur necessarii hausti sumptus usque modo fuere suppeditati.

Preces porrectæ pro suppressione monasteriorum ordinis Carthusianorum.

§. 3. Quare a dilectis filiis Sculteto senatu, et majori consilio Friburgi, qui ab assiduo ad supplendas impensas onere sese nimis gravatos sentiunt primum rec. me. Benedicti pp. XIV. prædecessori Nostro, et deinde Nobis quam enixæ oblatæ fuerunt preces, ut idem collegium ad jugi tandem, et perenni providentia fulciendum ex duobus monasteriis ordinis Carthusianorum in eorum ditione sitis, uno videlicet = Vallis Sanctæ = et altero = Partis Dei = respective denominatis alterutrum arbitrio Nostro ad sensum dilecti etiam filii prioris generalis ejusdem ordinis, ut illius bona studiorum collegio addicantur supprimere dignaremur.

Laudatur consilium, et illius prudentia commendatur.

§. 4. Quæ cum ita se habere non ambigamus, et pro pastoralis officii Nostri debito perpendentes quantum intersit, ut in regione catholicorum a populis diversæ religionis circumspecta studiorum servetur collegium, ac optime sit habilibus instructum præceptoribus, qui veras doceant doctrinas, ne forte juvenes ad proximas acatholicorum scholas cum maximo errores audiendi periculo sese conferendi causam arripiant: aliisque deficientibus mediis, quibus præmissa onera subiri queant, et Ecclesiæ ministri sustentari, oblatis propterea precibus annuendum fore animo reputavimus, et audito ipso priore generali intelleximus, eum in votis habere, ut monasterium = Partis Dei = denominatum, utpote sub cœlo salubriori, et loco minus aspero, et injucundo situm superstes servetur.

Deputatio executoris literarum apostolicarum.

§. 5. Indubiam igitur spem foventes in Domino cujus est errantes in unum ovile cogere, et dispersiones Israelis congregare, quod bene instructo, quin imo aucto illic studiorum collegio, ii, qui orthodoxa dogmata, et scientias in illo percipient doctrina catholicæ Ecclesiæ, quæ est columna veritatis corroborati alios, atque alios quoque erunt lucraturi; ideo monasterium ordinis Carthusianorum = Vallis Sanctæ = nuncupatum, ejusque titulum, et qualitatem regularem ipsius ordinis illud ab omni subjectione, et superioritate pro tempore existentis prioris generalis ejusdem ordinis penitus, et omnino eximentes, et sejungentes una cum ecclesia, domo regulari, omnibusque et singulis bonis, juribus, actionibus, creditis, ac etiam substitutionibus, ita quod supra ecclesiam, domum hactenus regularem, et bona, jura, actiones, credita, ac etiam substitutiones, et in illis singulis nullum amplius jus ordini Carthusianorum com-

petat ad infrascriptos effectus apostolica auctoritate ipsarum tenore præsentium in perpetuum supprimimus, et extinguimus.

§. 6. Quoniam vero haud alias quam ut in meliorem usum bona, et proventus converteremus ad hæc peragenda fuimus fore impulsi, ideo ad rem juxta mentem Nostram in singulis suis partibus perficiendam venerabili fratri Nostro Joanni Baptistæ archiepiscopo Iconiensi Nostro, et apostolicæ Sedis apud pagos Helvetiorum catholicos nuntio per præsentes committimus, et mandamus, ut ipse Nostro, et apostolicæ Sedis nomine veram, realem, et actualem possessionem ecclesiæ, domus, bonorum, et rerum omnium mobilium, et immobilium modo suppressi monasterii = Vallis Sanctæ = una cum illius juribus adipiscatur, ac fidelem, et legalem descriptionem omnium bonorum, et rerum confici curet. Quibus expletis ipsos ordinis Carthusianorum professores, qui in modo suppresso monasterio mansionem habebant, ad alia monasteria illis ab eodem Joanne Baptista archiepiscopo, et nuntio cum consensu prioris generalis presenti assignanda relictis eorumdem professorum particulari usui libris, et rebus mobilibus, conclaviumque incolebant decenter transferat, expensas vero ad hoc quomodolibet opportunas ab studiorum collegio subministrandas esse præscribat, et de facto ab illo subiri faciat.

Concessio ecclesiæ, et bonorum suppressorum monasteriorum favore Sculteti, senatus, et consilii.

§. 7. Porro ecclesiam illius monasterii = Vallis Sanctæ = Omnipotenti Deo in honorem s. Andreæ apostoli dicatam, nec non ædificium, claustrumque Carthusiam constituens, ac etiam bibliothecam, et communia suppellectilia monasterii, nec non partem aliquam suppellectilium, et vasorum sacrorum etiam ex argento, quæ ipse Joannes Baptista archiepiscopus ad decorem ecclesiæ duxerit convenientia, cum hoc tamen quod divinus in illa cultus saltem diebus festis servetur ipsis Sculteto, et senatui, ac consilio auctoritate Nostra in perpetuum concedat, et elargiatur. Præterea quoddam creditum, sive credita, quæ extra territorium Friburgense ad monasterium Vallis Sanctæ competere asseritur, una cum eorum fructibus decursis, et non solutis in eosdem Scultetum, senatum, et consilium auctoritate etiam Nostra transferat, ita quod ex juribus monasterii suppressi ipsi Scultetus, senatus, et consilium credita hujusmodi tamquam publici ærarii effecta illa non modo, sed etiam fructus decursos, et non solutos rite exigere queant, et valeant, utque ad effectum hujusmodi omnia authentica documenta credita præmissa concernentia Sculteto, senatui, et consilio prædictis tradenda erunt, e converso vero pro parte ipsorum Sculteti, senatus, et consilii cedi debeat in favorem ejusdem collegii studiorum quoddam partim vetustum publici ærarii creditum viginti mille coronatorum illarum partium monetæ, et quodcumque aliud creditum adversus idem collegium prætensum, cessum, et extinctum censeatur sumptibus quoque ejusdem ærarii sustentari debeat quidam ordinis Carthusiani professor cognomine Moret, qui modo est mente captus, atque ad id ærarium teneatur usque ad expletam illius curationem.

Consulitur indemnitati monasterii Parti Dei.

§. 8. Ad consulendum autem indemnitati alterius monasterii = Partis Dei = denominati, ac etiam in illius profectum idem Joannes Baptista archiepiscopus, et nuntius omnes vineas, quas in territorio, et ditione Bernæ suppressum monasterium Vallis Sanctæ possidebat, cum hoc tamen quod expensis monasterii Partis Dei sustentari debeant ii ordinis Carthusiensis professores, qui ex suppresso monasterio alio translati fuerint, ac etiam supranominatum Moret si convaluerit, exceptis ex ipsis prout infra duobus eidem monasterio Partis Dei simili auctoritate perpetuo uniat, annectat, et incorporet, eidem pariter monasterio Partis Dei illa concedat, et tribuat sacra supellectilia, et vasa ecclesiæ cujuscumque speciei, et qualitatis, quæ in suppresso monasterio non duxerit relinquenda.

Dispositio subsidii favore episcopi Lausanensis.

§. 9. Satis tamen apostolicum ministerium Nostrum explevisse minime videremur, nisi etiam modo venerabili fratri Nostro episcopo Lausanensi post cuique cognitas bonorum ejus mensæ passas jacturas aliquod quamvis impar comparemus subsidium. Ipsi propterea Joanni Baptistæ archiepiscopo præcipimus, ut redditus, et annuos proventus in pecunia numerata consistentes, qui ad suppressum modo monasterium pertinent, et juxta regionis idioma denominantur = Rentes constituus = aut Constitutions de Rentes = mensæ episcopali Lausanensi in ipsius, et pro tempore existentis episcopi Lausanensis substentationem auctoritate Nostra perpetuo cum infrascripto tamen temporali onere applicet, et appropriet; ac curet, ut eidem moderno episcopo scripturæ omnes et publica documenta, redditus, et pro-

ventus hujusmodi concernentia tradantur in episcopali archivio servanda; onus autem erit ejusdem episcopi annuam præstationem sexcentum librarum monetæ Galliarum, vel aliam summam ipsi Joanni archiepiscopo benevisam duobus ex ordinis Carthusianorum professoribus usque modo in suppresso monasterio degentibus, et ab eodem Joanne Baptista archiepiscopo designandi, donec illi, et alteruter naturaliter vixerit absque exceptione aliqua persolvere, et effective subministrare.

Dotatio collegii studiorum

§. 10. Jam vero præscriptis iis, quæ ad feliciorem totius negotii exitum conducere cognovimus, modo ad præcipuum finem nimirum collegii studiorum dotationem solicitudinis Nostræ opus convertentes ipsi Joanni Baptistæ archiepiscopo, et nuntio præcipimus pariter, et mandamus, ut omnia, et singula superextantia bona, prædia, alias vineas, domus, canones, census annuos, quascumque præstationes, credita si quæ sunt, præter ea quæ publico ærario, ut supra, cedenda esse disposuimus, et assensi sumus, actiones, jura etiam succedendi, substitutiones quoque, et alia quæcumque jura ubique locorum existentia usque modo ad monasterium Vallis Sanctæ per præsentes suppressum, et ab eo, ejusque priore, et ordinis Carthusianorum professoribus prætensa cum infrascriptis tamen, ut infra, præscribendis oneribus, et obligationibus eidem studiorum collegio in illius dotis augumentum præsentium Nostrarum literarum vi perpetuo pariter uniat, annectat, et incorporet, atque ejusdem collegii moderatoribus libros, scripturas, et documenta quæcumque bona, et jura unita concernentia tradat; onera autem necessario subeunda ea erunt, ut præcipue legata pia etiam celebrationis missarum, si quæ sint, ut antea adimpleantur sumptibus siquidem collegii duobus concionatoribus uni videlicet Gallicæ, in propria ecclesia s. Michaelis, et alteri Germanicæ nationum in collegiata ecclesia s. Nicolai ejusdem pagi solitum honorarium impendi debeat.

Ampliatio cathedrarum in eodem collegio.

§. 11. Item præter scientias, quæ actu in eodem collegio edocentur, duæ aliæ addi debeant cathedræ, una nimirum sacræ Scripturæ, et altera ecclesiasticæ historiæ, ad quas sustinendas si antecessor vere idoneus reperiretur, uni eidemque personæ tribui possent: sin minus duæ distinctæ eligantur personæ. Ita quoque ad hoc, ut deficientibus præceptoribus alios subrogandos deesse minime contingat, juge erit collegii onus duos juvenes ad percipiendas scientias idoneos, et clericali saltem charactere insignitos ad publicas Germaniæ, et Galliarum studiorum universitates mittere, eisque alimenta congrue suppeditare, ut scientiis, et idiomatibus instructi alios postquam redierint docere valeant.

Mandatum favore nuntii apostolici relaxatum, ut omnia libere disponere valeat.

§. 12. Ceterum ne aliquod in actu executionis præsentium suboriatur dubium eidem Joanni Baptistæ archiepiscopo et nuntio, cujus in Domino plenam fovemus fiduciam omnem tribuimus facultatem, ut ipse pro sui prudentia præmissa gerens, agat quidquid etiam juxta contingentes circumstantias duxerit disponendum, atque præsentes literas solemniter publicans, faciat illas, omniaque, et singula in eis contenta ab omnibus integre observari, illosque, quorum favorem concernunt, iis pacifice frui, et gaudere, non permittens eos a quoquam indebite molestari, contradictores quoslibet per opportuna juris, et facti remedia, ac etiam censuras appellatione postposita compescendo.

Tollitur omne juris remedium quod implorari possit ad subvertendam literarum efficaciam.

§. 13. Præsentes autem literas, et in eis contenta quæcumque nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, etiam ex eo quod causæ propter quas præsentes emanaverint sufficienter adductæ, et verificatæ, vel quicumque circa præmissa interesse habentes, vel habere prætendentes ad id vocati, citati, et auditi non fuerint, aut quocumque alio defectu etiam substantiali notari, impugnari, limitari, modificari, in jus, vel controversiam vocari, ad viam, et terminos juris reduci, aut adversus illas quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari nullatenus unquam posse; sed semper, et perpetuo firmas, validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et e converso ab illis ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum etiam inviolabiliter observari debere, neque illas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum generalibus revocationibus, limitationibus, suspensionibus, aliisque contrariis dispositionibus pro tempore factis, vel faciendis numquam comprehendi, sed semper ab illis excipi, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 14. Sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios, et delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum palatii Nostri apostolici audito-

res, et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, vice-legatos, dictæque Sedis nuntios, sublata eis quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate judicari, et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari irritum, et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 15. Non obstantibus Nostris, et cancellariæ apostolicæ regulis de unionibus, et suppressionibus committendis, vocatis quorum interest, et de exprimendo valore bonorum ecclesiasticorum tam uniendorum, quam illius, cui uniri petitur, et quatenus opus sit de jure quæsito non tollendo, ac Lateranensis concilii postremo celebrati suppressiones, et uniones perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque etiam in universalibus conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis Carthusianorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis eidem ordini Carthusianorum, ejusque superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus clausulis, et irritantibus, ac aliis decretis in genere, vel in specie forsan in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut etiam aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret eorum tenores, ac si de verbo ad verbum, et forma in illis tradita observata inserti foret eisdem præsentibus pro insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum tantum latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide hac vice dumtaxat præsentium Nostrarum literarum serie derogamus, contrariis quibuscumque. Volumus autem quod earumdem præsentium transumptis etiam impressis charactere alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio poenalis.

§. 16. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostræ exemptionis, sejunctionis, suppressionis, extinctionis, commissionis, mandati, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo septuagesimo septimo, decimo sexto kalendas martii, Pontificatus Nostri anno tertio.

CXXXIII.

Dat. die 5. julii 1777 Anno III.

Hortatio, ut capitulum utatur jure sibi competenti eligendi episcopum a sancta Sede confirmandum.

Dilectis filiis capitulo et canonicis cathedralis ecclesiæ Olomucensis.

Pius PP. VI.

Dilecti filii salutem et apostolicam benedictionem

Quum, quæ suscepta jam pridem fuerant ad istius amplissimæ diœcesis utilitatem consilia, nunc ad exitum vergant, damus has ad vos literas, dilecti filii, ut vobis significemus cupere Nos ne amplius vestro eligendi episcopo jure uti differatis, a cujus juris usu, literarum vigore, quas prædecessor Noster mense junii anni 1773 ad vos dedit, hactenus opportune vos retinuistis. Necessariam, quæ intercessit, moram solicitudine jam, ac diligentia vestra pensata, constitutaque comitiorum die, eum vobis per canonica suffragia de more designate episcopum, quem Nos simus Nostro, et apostolicæ hujus sedis judicio perlibenter approbaturi. Vos ipsi pro vestra prudentia optime cognoscere potestis, qualem, quamque præstantem pietate, virtute, ac religionis studio antistitem hæc tempora præcipue a vobis exigant, atque expectent; et si istius diœcesis fines

pascendo Dominico gregi multo, quam antea erunt, in posterum accomodatiores; atque hac ex parte expeditior episcopatus cura, non minus tamen nunc potissimum summa in ipso esse debebit sedulitas, ac vigilantia, summa in custodiendis commissis sibi ovibus fides. Vestrum itaque jam est nunc maxime declarare, omnibus sepositis humanis affectionibus, vos ad divinam promovendam gloriam unice conversos esse, eumque in modum pristinum vestram laudem tueri, ac etiam amplificare, et apud Nosmetipsos, qui id Nobis amplissime de vestra sapientia pollicemur, et apud augustissimam imperatricem reginam, cujus nunc maximæ, potissimæque sunt de istarum animarum incolumitate cogitationes ac curæ. Ac ut divini Spiritus afflatu electionem vestram moderemini, cœlestis gratiæ auspicem vobis, dilecti filii, universoque capitulo vestro, apostolicam benedictionem peramanter impartimur. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die quinta julii millesimo septingentesimo septuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 11. julii 1777. Anno III.

CXXXIV.

Dismembratio nonnullorum locorum a diœcesi Ariminensi, eorumque subjectio ecclesiæ Cæsenatensi.

Pius episcopus

servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Grave nimis cum sit etiam angelicis humeris formidandum episcopale onus ad illud aptius ferendum valde noscitur expedire circa quamlibet episcopalem sedem, ita diœcesim adhærere, ut illius pars potius quam ei a quo longius distat limitropho subsit episcopo; hac enim servata propinquiorum locorum assignatione, qui in partem apostolicæ solicitudinis Nostræ sunt vocati, promptius in animarum salutem curam, industriam, et labores suos impendunt, atque uberes in agro Domini eis attributo fructus procurare non desinunt. Quare Nos summa divina bonitate universali præsidentes Ecclesiæ, ut felici, ac expedito populorum spirituali regimini consulamus juxta occurrentes opportunitates hasce diœcesum assignationes unicuique episcopali sedi accomodare non omittimus.

Ratio præcipiendæ dismembrationis.

§. 2. Compertum quidem, exploratumque Nobis est ecclesiæ Ariminensis diœcesim late patentem quam plura oppida, terras, et loca incolis referta complecti, cumque eorum nonnullæ pareciæ, aliæque ecclesiæ una cum publicis oratoriis a civitate Ariminensi plura per milliaria sint dissita, verum civitati Cæsenæ, quæ, ut verbis felicis recordationis Sixti pp. V. prædecessoris Nostri utamur, felicem Nostris dedit ortum natalibus, ita proximæ sint, et fere adjacentes, ut ad illam, quæ remotior est circiter duarum horarum spatio commode possit accedi. Animo propterea reputavimus, quod ea diœcesis pars si Cœsenatensi attribueretur antistiti, cui admodum angusta subest diœcesis magis apposita in ea regione locorum esset distributio, ad hoc, ut cuique præsuli datum sit pastorali suo muneri facilius incumbere, et animarum rectores, clerus quoque, ac populus in spiritualibus, temporalibusque indigentiis quovis anni tempore ad proprium patrem, et judicem absque gravi incommodo confugere valeant.

Tenor dismembrationis, et exemptionis a jurisdictione episcopi Ariminensis.

§. 3. Nos igitur vacante modo Ariminensi episcopali sede, antequam novus a Nobis ordinetur episcopus, ita diœcesim futuro præsuli committendam aptare intendimus, ut quampluribus Ariminensi ecclesiæ remanentibus conspicuis, et uberis redditus paræciis, qui fidelis mysteriorum Dei dispensator erit demandandum munus apprime valeat exercere, atque illius opera magis, magisque in illa diœcesi divinus augeatur cultus, animarumque salus adjuvetur: motu idcirco Nostro proprio, et ex certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine in primis sæcularem, et forsan insignem collegiatam, quæ etiam parochialis est sancti Christophori oppidi Longiani et in illius territorio sancti Apollinaris archipresbyteratum nuncupatum Montis Galli, et sancti Andreæ etiam archipresbyteratum nuncupatum de Barignano cum ei annexa sanctæ Mariæ de Massa Teonistæ abbatiam nuncupatæ prope Rigossam a pro tempore existentibus ca-

pitulo et canonicis ecclesiæ Ariminensis dependentem, et in alio territorio sancti Petri Montis Novi filialem dictæ collegiatæ ecclesiæ. Item sanctæ Agathæ archipresbyteratum pariter nuncupatum loci Montiani. Pariter sancti Laurentii loci Gatei, et extra illum alium sancti Angeli. Ac demum sancti Ægidii abbatis archipresbyteratum quoque nuncupatum loci Bosco in territorio Gambettulæ parochiales respective ecclesias, earumque circuitus, et ambitus parochiales per integros eorum limites cum omnibus, et singulis aliis ecclesiis, et oratoriis, conventibus, hospitiis regularium, piisque locis infra limites ipsarum parochialium ecclesiarum modo, et in futurum existentibus. Nec non dictæ collegiatæ ecclesiæ dignitates, et canonicos, ipsarumque parochialium ecclesiarum rectores, ac quoscumque presbyteros, et clerum omnem, nec non populum infra eosdem limites de præsenti commorantes, et commoraturos, quæ, et qui hactenus episcopo Ariminensi pro tempore existenti, ejusque ordinariæ jurisdictioni subjecta, et subjecti, atque de ejus diœcesi fuere ab omni Ariminensis episcopi jurisdictione, et ab illius diœcesi penitus, et omnino apostolica Nostra auctoritate ipsarum vigore præsentium perpetuo dismembramus, sejungimus, separamus, ac dividimus, atque ab Ariminensis episcopi superioritate, jurisdictione, potestate, subjectione, visitatione, ac correctione, et quibusvis aliis juribus episcopalibus Ariminensis ecclesiæ etiam decimas quascumque, proventus, aliaque jura persolvendi prorsus, et omnino perpetuo pariter eximimus, et liberamus.

Loca dismembrata subiiciuntur jurisdictioni episcopi Cæsenatensis.

§. 4. Iisque, ut præfertur, dismembratis, eamdem collegiatam, omnesque, et singulas supra enunciatas parochiales, et earum circuitus, et ambitus per integros ipsarum limites cum omnibus, et singulis aliis ecclesiis, oratoriis, conventibus, hospitiis regularium, piisque locis infra limites ipsarum parochialium ecclesiarum modo, et in futurum existentibus: itidemque dignitates, et canonicos, rectores, et quoscumque presbyteros, et clerum omnem, et populum inibi nunc, et pro tempore degentes Cæsenatensi ecclesiæ, illiusque venerabili fratri Nostro moderno, ac pro tempore existenti episcopo, et illius ordinariæ jurisdictioni, auctoritati, et potestati, collationi quoque, et visitationi, ac correctioni, nec non quibusvis omnibus, et singulis actibus, qui episcopalis ordinis sunt, et episcopi in sua quisque diœcesi de jure, usu, consuetudine, aut alias quomodolibet agere, et facere, ac quibus uti solent, et possunt, nec non etiam cum quibusvis juribus, decimis, et proventibus ex ipsis ecclesiis ab antedicto episcopo Ariminensi hactenus percipi solitis etiam perpetuo assignamus, subiicimus, subponimus, et plenarie concedimus, omnibusque, et singulis dignitates obtinentibus, ac ecclesiarum rectoribus, et parochis, ac presbyteris, et clericis, incolisque quibuscumque, ut ipsi moderno, et pro tempore existenti episcopo Cæsenatensi tamquam proprio eorum ordinario in omnibus pareant, et obediant etiam perpetuo præcipimus, et mandamus.

Omne juris remedium tollitur contra tenorem literarum.

§. 5. Præsentes autem literas etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, vel habere prætendentes ad id vocati, et auditi non fuerint, sed etiam ex eo, quod Ariminensis ecclesiæ modo pastoris solatio destituta existit, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, seu in jus, vel consuetudinem vocari, aut adversus illas quodcumque juris, vel facti remedium impetrari posse, nec alias sub quibusvis generalibus derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, si quæ fierent, comprehendi, sed tamquam ad prosperum populorum spirituale regimen in salutem animarum editas, et emanatas semper ab illis excipi, validasque, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, sicque ab omnibus censeri.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Ita quoque per quoscumque judices ordinarios, et delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, vice legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostræ, et cancellariæ apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, et de unionibus, ac dimembrationibus committendis ad partes, vocatis, quorum interest, ac de præstando consensu in similibus unionibus, et dis-

membrationibus, aliisque constitutionibus apostolicis, ac etiam in universalibus, et provincialibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, ecclesiæque Ariminensis privilegiis; indultis quoque, et literis apostolicis, ejusque præsuli, ac capitulo, et canonicis, ac civitati Ariminensi etiam specifica, et expressa, atque individua mentione dignis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, et irritantibus, ac aliis decretis in genere, vel in specie etiam motu simili, ac consistorialiter in contrarium præmissorum forsan concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia quævis exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, et singulorum tenores, formas, et clausulas præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat, latissime, et plenissime, atque specialiter, et expresse auctoritatis Nostræ plenitudine harum quoque serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 8. Volumus autem, quod earumdem præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio poenalis.

§. 9. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostræ dismembrationis, sejunctionis, separationis, divisionis, exemptionis, liberationis, assignationis, subjectionis, concessionis, præcepti, mandati, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo septuagesimo septimo, quinto idus julii, pontificatus Nostri anno tertio.

CXXXV.

Dat. die 11. julii 1777. Anno III.

Suppressio duarum confraternitatum, et applicatio reddituum conservatorio puellarum civitatis Aesinæ.

Pius episcopus

servus servorum Dei.

Venerabili fratri episcopo Æsino salutem, et apostolicam benedictionem.

Memoratur erectio novi conservatorii, et deficientia bonorum pro recipiendis, et alendis puellis.

§. 1. Apostolicæ providentiæ ratio postulat, ut eorum, qui in partem solicitudinis Nostræ vocati sunt Nobis oblata vota quam libenter excipientes illis obsecundare curemus, quam præcipue ad pudicitiam tuendam, et virgines bonis moribus imbuendas, atque artium culturam noscuntur ordinata. Nuper quidem pro parte tua intelleximus, quod deficiente in civitate Aesina aliqua pia domo, in qua puellæ temporalibus subsidiis destitutæ, et mundi illecebris expositæ nedum ali, et ab honestatis discrimine præservari, verum etiam ad muliebrium artium exercitium institui possent. Tu ea, qua polles vigilantia pastorali, et publici boni zelo ædificium ad usum conservatorii in ea civitate jamdiu excogitatum, et concupitum, quod ad centum usque puellas excipiendas satis amplum censetur, opere per sexennium assidue continuato, ingentique tuo sumptu tandem ad complementum perduci curasti, quod sane opus ab omni personarum ordine concelebratur; quare exoptares modo sub expertarum matronarum regimine vel viginti, vel saltem quindecim puellas ad illud admittere. Verum cum ad ejusdem conservatorii dotationem ea prorsus desint auxilia, quæ necessaria forent, atque tu ad novum hoc onus, præter alia, quæ subiisti, et dietim ferre teneris suscipiendum imparem te fatearis, et quatenus aliquid suppeditandum ubi datum esset, id vel exiguum foret, vel in ævum minime perduraret.

Priores, et confratres s. Rochi Æsinæ civitatis et ss. sacramenti castri Moscia-ni, eorum redditus cedere declararunt favore conservatorii.

§. 2. Ne diutius pium hoc opus remoretur, eadem tua expositio prosequebatur, quod cum in ipsa Æsina civitate quædam sit dudum instituta laicorum confraternitas sub invocatione sancti Rochi, cujus annui proventus ad sexcentum, et quinquaginta scuta vel circiter ascendunt, et quibus quamvis subministrandi peregrinorum hospitali annis singulis scuta octo, et propriæ

ecclesiæ indigentiis occurrendi, ac missarum celebrationis, puellarum dotationis, et collectarum solutionis, ac forsan aliis oneribus obnoxiis, nihilominus biscentum, et quinquaginta circiter scuta superesse solent, quæ nulli sunt devincta usui, illiusque moderatores æquo animo consensum præstiterint, ut reddituum hujusmodi pars, quæ, deductis oneribus, abunde superest in ejusmodi conservatorii subsidium annuatim cederet, itidemque alterius confraternitatis sub invocatione ssmi Sacramenti in castro Mosciani Æsinæ diœcesis priores cum approbatione rectoris parochialis ecclesiæ illius castri, et singulorum presbyterorum sub spe, quod duæ puellæ ab eo ortum ducentes in conservatorium reciperentur, applicationi superextantium illius confraternitatis reddituum, qui ad centum, et triginta septem, vel saltem ad septuaginta septem similia scuta annuatim ascendere solent, in favorem ejusdem conservatorii assecuti fuerint; ideo Nobis quam enixe supplicari fecisti, ut ope bonorum, et proventuum unius, et alterius confraternitatum, quarum primam penitus tollere magis opportunum arbitrabaris novo conservatorio dotationis primordia tribuere dignaremur.

Sacra congregatio negotiis episcoporum, et regularium præposita, cessionem et assignationem faciendam, et approbandam esse censuit.

§. 3. Nos autem audito prius dilecto filio Nostro Bernardino Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbytero cardinali Honorati nuncupato, tunc congregationi venerabilium fratrum Nostrorum ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium præpositorum a secretis, cui negotium hoc mature expendendum injunxeramus juxta decretum in audientia Nostra sub die vicesima tertia proxime elapsi mensis maii emanatum votis suis annuendum censuimus.

Episcopo committitur, ut confraternitatem s. Rochi supprimat, et dissolvat.

§. 4. Munus igitur dispensatoris fidelis, et prudentis bonorum temporalium ad ecclesias, et loca pia pertinentium, prout constituit Nos Dominus super familiam suam exequi volentes, atque quam plures ex ejusdem conservatorii institutione eidem civitati, et diœcesi obventuras perspectas habentes utilitates, fraternitati tuæ per præsentes committimus, et mandamus, ut supra enunciatam confraternitatem sancti Rochi in ipsa civitate, ut præfertur, erectam, illiusque statutum, essentiam, et denominationem, ac omnia, et singula illius officia, et ministeria, nec non statuta, consuetudines, et decreta etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roborata, pariterque privilegia, et indulta generalia, et specialia, si quæ sint, eidem confraternitati sancti Rochi, illiusque confratribus tam in spiritualibus, quam in temporalibus etiam oneroso, aut alias ex quovis titulo forsan necessarie exprimendo apostolica, vel alia quavis auctoritate concessa, quorum omnium tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, ipsarum præsentium vigore apostolica auctoritate perpetuo dissolvas, supprimas, extinguas, ac casses, et aboleas.

Dissoluta confraternitate bona, et jura cuncta novo conservatorio adjudicantur.

§. 5. Porro eadem confraternitate sic dissoluta, et extincta omnia, et singula bona mobilia, stabilia, et semoventia in eadem civitate, et ubique existentia in quibusvis rebus consistentia, et undecumque provenientia, et ad suppressam confraternitatem spectantia, jura etiam tam activa, quam passiva, et actiones quascumque reales, personales, et mixtas eidem suppressæ confraternitati nunc, et in posterum quomodolibet forsan competentes, quæque competere possent etiam ad effectum succedendi in eodem gradu in quibuscumque substitutionibus quovis modo forsan ordinatis, jus quoque assignandi, et distribuendi dotalia subsidia puellis eidem suppressæ confraternitati hactenus competens, eidem conservatorio, et pro eo illius deputatis a te deputandis etiam pro tempore existentibus auctoritate Nostra perpetuo pariter concedas, et applices, appropries, ac respective unias, annectes, et incorpores, idemque conservatorium suppressæ confraternitati in præmissis omnibus plenarie subroges, et substituas, ita quod liceat ejusdem conservatorii administratoribus prædictis veram, realem, et actualem possessionem omnium, et singulorum bonorum, rerum, et proprietatum, aliorumque prædictorum ubicumque sitorum, et quocumque vocabulo nuncupatorum, et in quacumque re consistentium per se, vel alium, seu alios ejusdem conservatorii nomine libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, et emolumenta quæcumque exigere, percipere, levare, arrendare, locare, dislocare, administrare, et supportatis singulis legatis piis, et obligationibus, ac oneribus etiam distributionis dotalium subsidiorum, quod

reliquum erit in ipsius conservatorii usum, et utilitatem convertere debeant, et teneantur.

Eidem conservatorio assignatur quidquid superest ex bonis alterius confraternitatis ss. sacramenti deductis oneribus.

§. 6. Præterea cum sequuta præmissorum extinctæ confraternitatis bonorum applicatione nimis exiguum illi obventurum sit subsidium, ideo eidem fraternitati tuæ per præsentes itidem committimus, et mandamus, ut eidem conservatorio id totum, quod ex omnibus, et singulis bonis, annuisque proventibus alterius confraternitatis sub invocatione sanctissimi Sacramenti in dicta terra annis singulis, deductis tamen omnibus oneribus, et necessariis expensis supererit in ejusdem conservatorii usum, et puellarum inibi degentium alimoniam controvertendum auctoritate pariter Nostra etiam perpetuo reserves, et assignes, atque ad effectum hujusmodi omnes fraternitati tuæ, tuisque successoribus Aesinam ecclesiam pro tempore moderantibus facultates impertimur, eamdem confraternitatem sanctissimi Sacramenti ad redditionem rationis ejus proventuum annis singulis adigendi ad hoc, ut superextantis summæ, vel saltem supradictorum annuorum scutorum septuaginta septem ejusdem monetæ beneficio idem conservatorium valeat gaudere.

Puellis ex castro Mosciani jus conceditur petendi admissionem in conservatorio.

§. 7. Verum ipsam fraternitatem tuam, ac successores prædictos hortamur, ut si puellæ aliquæ ex eodem castro optimæ indolis, bonisque moribus instructæ, atque ad muliebres artes addiscendas idoneæ, in illud recipi, et optaturæ sint, eas voti compotes efficias, et efficiant.

Omne juris remedium tollitur et plena decernitur literarum executio.

§. 8. Præsentes autem literas, omniaque, et singula in eis contenta, etiam ex eo, quod utraque confraternitas, illarumque officiales, et quicumque alii in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere prætendentes, præmissis non consenserint, atque ad ea vocati, et auditi fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis Nostræ, vel alio quovis etiam enormis læsionis defectu notari, impugnari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, reductionis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, vel justitiæ remedium impetrari, aut impetrato, vel concesso quempiam uti posse, neque easdem præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, vel aliis contrariis dispositionibus pro tempore faciendis comprehendi; sed semper perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

Omnibus in contrarium facientibus derogatur

§. 9. Non obstantibus, quatenus opus sit, de non tollendo jure quæsito, de suppressionibus, et dismembrationibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, et de exprimendo vero annuo valore, aliisque Nostris, et cancellariæ apostolicæ regulis, ac postremi Lateranensis concilii dismembrationes, et applicationes perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, nec non felicis recordationis Pauli II., Pauli IV., Pii V., Sixti etiam V., aliorumque Romanorum pontificum prædecessorum Nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, et annatas, ac quindennia cameræ, et cancellariæ apostolicæ solvi præcipientibus, nec non recolendæ memoriæ Pii pp. IV. prædecessoris itidem Nostri de gratiis interesse ejusdem cameræ quomodolibet concernentibus in eadem camera registrandis, et insinuandis, et quibusvis aliis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quibusvis fundationibus, et erectionibus, nec non quorumvis benefactorum, et testatorum dispositionibus, sive donationibus, aliisque ultimis voluntatibus cum quibuscumque conditionibus, et legibus etiam caducitatis, et subrogationis alterius operis pii adscriptis, atque statutis, quibus omnibus, et singulis eorum totis tenoribus, et formis, etiamsi de illis specialis, specifica, et individua mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, præsentibus inserti forent, pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse derogamus, illaque ad effectum præsentium commutamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo septuagesimo septimo, quinto idus julii, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 16. junii 1777. Anno III.

CXXXVI.

Erectio cathedralis ecclesiæ Crisiensis ritus græci.

Pius episcopus

servus servorum Dei

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Charitas illa, qua Christus Dominus dilexit Nos, quamque ad invicem a Nobis et servari tantopere commendavit, et apostolus gentium vinculum esse perfectionis asseruit, a pastorali quod gerimus exigit officio, ut omnes in Christo filios ita prosequi debeamus affectu, ut si eorum aliquis a matris Ecclesiæ sponsæ Nostræ sinu longe aberravit, omnem impendamus laborem, et operam, ut tamquam deperdita ovis, quam coelestis pastor post quam invenerat super humeros posuit, ad Ecclesiam ipsam maximo cum gaudio denique reducatur.

Expositio rationum, quæ ad novam erigendam dioecesim impulerunt.

§. 2 Cum itaque sicut accepimus charissima in Christo filia Nostra Maria Theresia imperatrix vidua, ac Hungariæ et Boemiæ regina apostolica, ut tam ad confirmandos in remotissimis sui regni Hungariæ prædictæ, et illi annexarum provinciarum partibus in sacra unione Christifideles graeci ritus unitos, quam ad alios in sanctæ matris Ecclesiæ sinum reducendos, nec non ad amovendas quascumque schismaticorum præsulum versutias vicariatum apostolicum graecum pro regno Croatiæ jamdiu designatum per Nos, et Sedem apostolicam in episcopatum graeco-catholicum in oppido civitate nuncupato Crisiensi ad animas eorumdem Christifidelium orientalis ecclesiæ ritui addictas, adeoque graeco-catholicos erigi vehementer desiderat, prout regiis suis literis Nobis datis clarius exposuit.

Tenor erectionis.

§. 3. Nos ad dilecti filii magistri Petri Mariæ Nigroni in utraque signatura Nostra referendarii, et infrascriptæ congregationis secretarii relationem, et auditis prius super hujusmodi petitione congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium rebus consistorialibus præpositæ consilio, ac dilecti pariter filii Nostri, et ejusdem Sedis apostolicæ nuncii in civitate Viennensi commorantis informatione, et voto, tam ejusdem Mariæ Theresiæ reginæ apostolicæ desiderio obsecundare, ejusque desuper oblatis precibus annuere, ac omnem græci ritus uniti nationem quantum in Domino licuerit specialibus gratiis et favoribus prosequi, ejusque speciali bono consulere volentes, motu proprio, et ex certa scientia officium dicti vicariatus apostolici, illiusque titulum et denominationem apostolica auctoritate perpetuo penitus supprimimus, et extinguimus; illoque sic suppresso et extincto oppidum Crisiense prædictum civitatis episcopalis titulo et honore eadem apostolica auctoritate etiam perpetuo decoramus; dictumque vicariatum apostolicum per Nos, ut præfertur, suppressum, et extinctum de apostolicæ potestatis plenitudine in episcopatum graeco-catholicum unitum, nec non ecclesiam in dicto oppido sitam, et a prædicto nuncio Viennensi resignandam in ecclesiam cathedralem Crisiensem græci ritus uniti pro uno episcopo Crisiensi præfati ritus græci uniti, qui ejusdem episcopalibus insigniis, privilegiis, et praerogativis eisdem modo, et forma quibus cæteri episcopatus, et respective episcopi graeci ritus uniti perfruuntur, et gaudent cum omnimoda jurisdictione episcopali in Grecos omnes unitos in dicto oppido Crisiensi per Nos episcopalis civitatis titulo et honore, ut præfertur, decorato extantes, aliisque locis, et terris, quæ pro infrascripta dioecesi futuri episcopi Crisiensis graeci ritus uniti hujusmodi, ut infra decernentur, perfruatur, et gaudeat dicta apostolica auctoritate similiter perpetuo erigimus et instituimus.

Constitutio dotis ecclesiæ cathedralis.

§. 4. Ac pro ejusdem cathedralis ecclesiæ Crisiensis per Nos, ut præfertur erectæ dote, et ad dignitatem episcopalem decenter tuendam summam sex millium florenorum monetæ illarum partium a prædicta Maria Theresia regina apostolica in tot bonis stabilibus attributam, constitutisque vicario et missionario per Sclavoniam, et comitatum Bachiensem duobus ibidem consistorialibus in qualitate missionariorum.

Erectio seminarii.

§. 5. Ac denique sufficienti clericorum seminario quibus eadem Maria Theresia regina apostolica liberaliter prospexit apostolica auctoritate itidem perpetuo assignamus, decernentes quod in dicta civitate Crisiensi domus episcopalis constituatur pro decenti futuri episcopi Crisiensis græci ritus uniti hujusmodi habitatione, et in prædicta cathedrali ecclesia Crisiensi per Nos, ut

præfertur, erecta, presbyteri sæcularis, seu monachi ejusdem ritus græci uniti, dummodo non adsint ad præsens instituantur, qui in dicta cathedrali ecclesia Crisiensi, et per Nos ut præfertur erectæ capituli, et canonicorum, aliorumque in divinis deservientium ministrorum vices impleant, illorumque officio respective fungantur.

Fines dioecesis præfiniuntur.

§. 6. Pro dioecesi vero ejusdem futuri episcopi Crisiensis græci ritus uniti hujusmodi limites ejusdem diœcesis per Croatiam, et Sclavoniam, nec non districtum Sichelburgensem, partemque Hungariæ, adeoque in diœcesibus Bosniensi, et Sirmiensi, ac QuinqueEcclesiensi, qua parte illa in Sclavoniam protenditur latini ritus, quoad populum tamen orientalis ecclesiæ ritui græco unito prædicto addictum eadem apostolica auctoritate pariter perpetuo concedimus et assignamus.

Jus præsentandi episcopum regibus Hungariæ conceditur.

§. 7. Ac insuper eidem Mariæ Theresiæ reginæ apostolicæ, ejusque in dicto Hungariæ regno successoribus regibus jus nominandi, seu præsentandi infra tempus a jure præfixum Nobis, et Romano pontifici pro tempore existenti personam idoneam ad dictam cathedralem ecclesiam Crisiensem per Nos, ut præfertur, erectam, ita tamen ut de illa a primæva erectione prædicta vacante, et pro prima vice, et in posterum in futuris illius vacationibus ad nominationem, seu præsentationem eamdem per Nos, et successores Nostros Romanos pontifices debeat provideri, ea tamen lege, ut tam futurus episcopus Crisiensis in dicta ecclesia cathedrali Crisiensi per Nos, ut præfertur, erecta, et a primæva illius erectione hujusmodi, ut præfertur, vacante, primo instituendus quam ejus in prædicta cathedrali ecclesia Crisiensi, ut præfertur, erecta, episcopi successores omnes nullo umquam tempore ordinariæ jurisdictioni pro tempore existentis episcopi Zagabriensis præjudicium aliquod inferre præsumant, sed jurisdictionem suam ordinariam in clerum dumtaxat, ac populum Ruthenorum græci ritus uniti, aliosque qui eosdem ritus, et unionem sequuntur, deguntque tam in dicta civitate Crisiensi, quam in aliis locis pro diœcesi ejusdem futuri episcopi Crisiensis, ut supra, assignatis simpliciter exercere valeant, exacte servantes et adimplentes decreta omnia congregationis venerabilium fratrum Nostrorum ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium negotiis de Propaganda Fide præpositæ hactenus edita, vel edenda quoad Græcos, qui cum Latinis immixti vivunt, huic novæ apostolicæ provisioni non obstent dicta apostolica auctoritate similiter perpetuo reservamus.

Declarationes circa jurisdictionem episcopi.

§. 8. Ac ulterius venerabili fratri Nostro moderno, et pro tempore existenti archiepiscopo Strigoniensi motu, et scientia similibus per præsentes mandamus, ut jurisdictionem omnem, quæ jure metropolitico in ecclesias ei suffraganeas illius provinciæ sibi competit in episcopatu quoque Crisiensi dicti græci ritus uniti pro tempore futurum plenarie exerceat; ac propterea eidem moderno, et pro tempore existenti archiepiscopo Strigoniensi, ut ipse toties quoties sibi placuerit ea inquirere, et cognoscere, quæ ad fidei puritatem, animarumque spirituale bonum noverit pertinere libere, et licite possit dicta apostolica auctoritate facultatem tribuimus et impartimur.

Clausulæ salutares.

§. 9. Decernentes etiam præsentes semper et perpetuo validas, et efficaces esse et fore, suosque integros, et plenarios effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis ad quos nunc spectat, et spectabit quomodolibet in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere, ac nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica, et legitima, etiam ex eo quod causæ propter quas eædem præsentes emanarunt adductæ, verificatæ, et justificatæ non fuerint de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis, seu invaliditatis vitio, aut intentionis Nostræ, seu quopiam alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, et inexcogitabili, ac specialem, et individuam mentionem, et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in præmissis, eorumque aliquo solemnitates, et quævis alia servanda et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite de jure, vel facto, seu statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, totalisque læsionis, aut quocumque alio colore, prætextu, aliaque ratione, vel causa, etiam quantumvis justa, rationabili, juridica, legitima, pia, privilegiata, et tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra, et aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad viam, et terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitio-

nis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus concesso, impetrato, vel emanato quempiam uti, seu se juvare posse in judicio, vel extra illud, neque easdem præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariæ apostolicæ regulas quandocumque, et in crastinum assumptionis Nostræ et successorum Nostrorum Romanorum pontificum ad summi apostolatus apicem etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, ex quibuscumque causis, et sub quibuscumque verborum expressionibus, tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis etiamsi in eis de eisdem præsentibus, earumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat editas, et in posterum edendas comprehendi, sed semper, et omnino ab illis excipi, et quoties illae emanabunt toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas fore et esse.

Decretum irritans.

§. 10. Sicque, et non aliter per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, et causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, vice legatos, dictæque Sedis nuncios, aliosque quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, praerogativa, ac privilegio fungentes, ac honore, et præeminentia fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate in quocumque judicio, et in quacumque instantia judicari, et definiri debere; irritum quoque et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 11. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et cancellariæ apostolicæ prædictæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque in contrarium præmissorum, et in synodalibus, provincialibus, generalibus, et universalibus conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus pro tempore concessis, et concedendis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque toto tenore specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quælibet alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent eisdem præsentibus, pro plene et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris latissime, et plenissime ad præmissorum validissimum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse, nec non opportune, et valide harum serie motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Præceptum de inscribendis redditibus ecclesiæ in libris cameræ apostolicæ.

§. 12. Volumus autem quod ecclesia cathedralis Crisiensis ritus græci uniti prædicti per Nos, ut præfertur, erecta juxta ejus redditus de more taxari, et hujusmodi taxa in libris cameræ apostolicæ describi debeat; quodque in exequutorem pro exequutione tamen earumdem præsentium dumtaxat nuncius Viennensis cum facultate etiam subdelegandi deputetur.

Sanctio poenalis.

§. 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ suspensionis, extinctionis, decorationis, erectionis, institutionis, assignationis, decreti, concessionis, reservationis, mandati, facultatis, impartitionis, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo septuagesimo septimo, quinto decimo kalendas julii, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 16. junii 1777. Anno III.

CXXXVII.

Erectio cathedralis ecclesiæ Sabariensis

Pius episcopus

servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium.

§. 1. Relata semper ab Ecclesia militanti in verbo illius, qui firmam supra petram ædificavit eam contra principem tenebrarum victoria, quemadmodum per elata, quandoque vero per novos et in sinu credentium episcopatus in medio aliorum veluti nova fidei tentoria, ac propugnacula erutos ad custodiendam, et defendendam civitatem sanctam, ac vineam Domini electam fuit omni tempore non sine prædecessorum Nostrorum gaudio a Christifidelium spirituali progressu, ac solamine recognita. Nos itaque quos licet immerentes ipsius Ecclesiæ regimini constituit Dominus animo ceterum revolventes quam facile sit ex nonnullarum diœcesum amplitudine, ut oriantur abusus, quamque difficile eos inde sic ortos eliminare, et evellere. Ex debito idcirco pastoralis officii ne in medium prodeant apostolicæ potestatis gladio præeuntes cuicumque incommodo per novarum cathedralium erectiones, præcipue quum a regiis ac generosis fœminis de catholica fide optime meritis sunt expetitæ viam præcludere satagimus, ut tandem benedicente Domino, qui exiguis incrementum dat lateres nostros omnes populi, et tenebris obvoluti, quod paravit Deus in æternum lumen ad revelationem gentium proprius videre, sicque in universa terra unus tantum pastor, ac unum ovile Altissimo cum gratiarum actione valeant adesse.

Ratio erectionis novi episcopatus.

§. 2. Cum itaque Nobis innotuerit, quod ob unius Veszprimiensis, actu vacantis, ac alius Taurinensis et reliqui episcopatuum Zagabriensis nimis amplas, easque diffusas jurisdictiones fieri non potest, ut unus respective illarum ecclesiarum episcopus per se tantum suum, ut par est, pastorale munus explere, ac singulorum Christifidelium sibi subjectorum spiritualibus indigentiis prospicere, et remedia incommodis quandoque inter ovile Christi contingentibus ea qua decet promptitudine afferre valeat, et idcirco charissima in Christo filia Nostra Maria Theresia imperatrix vidua, ac Hungariæ, et Boemiæ regina apostolica, quæ pro ipsa catholica militanti Ecclesia semper illustrioribus ditanda trophæis contra humani generis inimicum magis in dies se studiosam ostendit, insinuaverit Nobis, ut si a supradictis episcopatibus infrascripti comitatus per Nos ut infra perpetuo dismembrarentur, et intra illos videlicet in oppido infrascripto novus episcopatus erigeretur, opus quidem utile orthodoxæ religioni, ac ipsismet Christifidelibus juxta ejus flagantia desideria perficeretur.

Dismembratio locorum novæ dioecesi assignandorum, et erectio cathedralis ecclesiæ in oppido s. Martini episcopi.

§. 3. Nos audita prius super his congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium rebus consistorialibus propositæ sententia, nec non attentis peculiaribus circumstantiis, accedente ad hæc omnia venerabilium fratrum Nostrorum modernorum Taurinensis, et Zagabriensis respective episcoporum consensu, tam pia ejusdem Mariæ Theresiæ reginæ apostolicæ desideria fovere, illiusque desuper per suas literas Nobis datas oblatis precibus clementer annuere volentes, motu proprio, et ex certa scientia dominia comitatus, et districtus infrascripta Veszprimiensis, ac Taurinensis, et Zagabriensis respective diœcesibus penitus ac perpetuo tenore præsentium apostolica auctoritate dividimus, et separamus, ac oppidum Sabariense nuncupatum, quod accepimus beati Martini dum viveret episcopi patria extitit juxta canonicas sanctiones civitatis episcopalis titulo, et honore, dicta apostolica auctoritate perpetuo decoramus; nec non sæcularem, et collegiatam ecclesiam in dicto oppido per Nos civitatis episcopalis titulo, ut præfertur, decorato, illiusque collegialitatis titulum, denominationem, naturam, et essentiam eadem apostolica auctoritate pariter perpetuo supprimimus, et extinguimus; ipsamque collegiatam ecclesiam per Nos, ut præfertur, suppressam et extinctam una cum illius capitulo et præposito, videlicet præposituram, quæ inibi principalis, ac lectore lectoratum qui secunda, ac cantore cantoratum, qui tertia, ac custode custodiatum, qui quarta respective dignitates canonicatus nuncupatæ existunt composito, ac subinde duobus aliis canonicis participantibus ex destinatis hanc in rem fundis augendo de apostolicæ potestatis plenitudine, in ecclesiam cathedralem Sabariensem, qui omnibus episcopalibus insigniis, privilegiis, et prærogativis eisdem modo et forma,

quibus cæteri episcopi præsertim Hungariæ regni perfruuntur, et gaudent cum omnimoda jurisdictione in prædicta civitate Sabariensi, et in infrascripta diœcesi, ut infra assignanda perfruatur, et gaudeat, eadem apostolica auctoritate similiter perpetuo erigimus et instituimus. Nec non præposituram prædictam in majorem post pontificalem; cæteras vero dignitates, seu canonicatus ejusdem collegiatæ ecclesiæ per Nos, ut præfertur suppressæ, et extinctæ cum dictis duobus aliis canonicatibus, quibus idem capitulum, ut præfertur, augebitur in totidem dignitates, seu respective canonicatus ipsius cathedralis ecclesiæ Sabariensis per Nos etiam, ut præfertur erectæ, subrogatam, et subrogatas, seu respective subrogatos esse, dicta apostolica auctoritate itidem perpetuo declaramus.

Constitutio dotis ecclesiæ cathedralis.

§. 4. Et pro dictæ ecclesiæ episcopalis Sabariensis per Nos ut præfertur erectæ dote, ad illius futuri episcopi pro tempore existentis pontificalem dignitatem decenter tuendam, ex bonis videlicet dicti episcopatus Veszprimiensis dominium Szala Eger-szech, a vero episcopatu Taurinensi hujusmodi dominium Sabariense respective nuncupata, et ex eis obvenientes proventus fere vigintimillium florenorum monetæ illarum partium in prædictis fundis immobilibus, et decimis, quos quidem proventus obtingentes ex parte dominii Sabariensis prædicti illico novus episcopus Sabariensis præpositus non percipiet, sed statim ac e manibus prædicti moderni episcopi Taurinensis legitimi possessoris pars prædicta bonorum huic episcopatui destinata et liberata fuerit. Eosque vero de alio convenienti subsidio eidem futuro episcopo Sabariensi prædicta Maria Theresia regina apostolica prospiciet eadem apostolica auctoritate perpetuo quoque constituimus et assignamus.

Dotatio seminarii.

§. 5. Seminario autem clericorum pro illius manutentione, seu dotatione partim episcopatus Taurinensis prædicti, partim vero ejusdem, ut præfertur, vacantis episcopatus Veszprimiensis, ac signanter dominii Riul nuncupati respective redditus apostolica auctoritate prædicta similiter perpetuo applicamus, et addicimus.

Descriptio limitum novæ diœcesis.

§. 6. Et insuper pro diœcesi futuri episcopi Sabariensis prædicti limites per totum comitatum Castriferrei, ac Preberensem districtum Szala-Egorszeghiensem, ut præfertur, nuncupatum in comitatu Szaladiensi hucusque ad diœcesim Veszprimiensem prædictam pertinentem, exceptis tamen parochiis Esaciensi, Esabariensi, Szent-Laszloiensi, et Szent-Javaniiensi pro eadem diœcesi Veszprimiensi ultro quoque relictis, adeoque cum reliquis unice parochiis Bugod, Bonezod-Joldüe, Harzhagii, Mille, Nova, Puszta-Magiiarod, Szala-Egerszeghy, Szala-Szent-Giorgii, Salomuar, Scitor, et Tarnok, respective nuncupatis, adeoque parochiis matricibus undecim, earumque filialibus; ex diœcesi vero Zagabriensi in eodem comitatu Szalodiensi districtum Transmuranum nuncupatum cum sexdecim parochiis, earumque filialibus ab eodem episcopatu, ut præfertur, dismembratum, intra cujus diœcesis limites numerabit idem episcopatus centum et quadraginta quatuor parochiales matrices præter numerosas eisdem parochialibus adnexas filiales ecclesias dicta apostolica auctoritate ibidem perpetuo concedimus, et assignamus.

Jus præsentandi episcopum regibus Hungaricis conceditur.

§. 7. Necnon jus nominandi seu præsentandi a dicta Maria Theresia, regina apostolica, ejusque in regno Hungariæ prædicto successoribus regibus infra tempus a jure præfixum Nobis, et successoribus Nostris Romanis pontificibus pro tempore existentibus personam idoneam ad dictam ecclesiam episcopalem Sabariensem per Nos, ut præfertur, erectam a primæva illius erectione vacantem tam pro prima vice, quam et in posterum in futuris illius vacationibus pari prorsus modo, quo ad Nojaonensem seu Pentanoatensem eamdem episcopi aliarum cathedralium ecclesiarum in præfato regno Hungariæ existentium a Sede apostolica prædicta præfici consueverunt, cum ea tamen lege, quod tam prædictus futurus episcopus Sabariensis in dicta ecclesia cathedrali Sabariensi per Nos, ut præfertur, erecta, et a primæva illius erectione hujusmodi, ut præfertur, vacante, primo instituendus, quam ejus in prædicta ecclesia cathedrali Sabariensi, ut præfertur, erecta hujusmodi successores omnes, ordinariæ jurisdictioni pro tempore existentis archiepiscopi Strigoniensis, uti eorum metropolitano subjecti sint, et esse debeant apostolica auctoritate prædicta similiter perpetuo clementer admittimus.

Item jus conferendi beneficia.

§. 8. Ac præterea eidem Mariæ Theresiæ reginæ apostolicæ, ejusque in prædicto Hungariæ regno successoribus regibus hujusmodi jus omnia beneficia ecclesiastica, omnesque canonicatus et præbendas in capitulo dictæ ecclesiæ cathedralis Sabariensis per Nos, ut præ-

fertur erectæ existentia, et existentes conferendi dicta apostolica auctoritate similiter perpetuo concedimus, et reservamus.

Tollitur omne juris remedium ut literæ apostolicæ plenum consequantur executionem.

§. 9. Decernentes easdem præsentes semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis ad quos nunc spectat, et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica, et legitima, et ex eo quod causæ propter quas eædem præsentes emanarunt adductæ, verificatæ, et justificatæ non fuerint de subpretionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, aut intentionis Nostræ, seu quopiam alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, et inexcogitabili, ac specialem, et individuam mentionem, et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in præmissis, eorumque aliquo solemnitates, et quævis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite de jure vel facto, seu statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, totalisque læsionis, aut quocumque alio colore, prætextu, aliaque ratione, vel causa, etiam quantumvis justa, rationabili, legitima, juridica, pia, privilegiata etiam, talique ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra, et aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probare posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad viam et terminos juris reduci, aut adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomolibet motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus concesso, et impetrato, vel emanato quempiam uti, seu se juvare in judicio, vel extra illud posse, neque easdem præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, subscriptionibus, limitationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariæ apostolicæ regulas, quandocumque etiam in crastinum assumptionis Nostræ, et successorum Nostrorum Romanorum pontificum ad summi apostolatus apicem etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, et consistorialiter ex quibuslibet causis, et sub quibuscumque verborum expressionibus, tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiamsi in eis de eisdem præsentibus, earumque toto tenore ac data specialis mentio fiat editas, vel in posterum edendas comprehendi, sed semper, et omnino ab illis excipi, et quoties illæ emanabunt toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas fore, et esse.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 10. Sicque, et non aliter per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, vicelegatos, dictæque Sedis nuncios, aliosve quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, prærogativa, ac privilegio fungentes, ac honore, et præeminentia fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate in quocumque judicio et in quacumque instantia judicari, et definiri debere, irritumque, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 11. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et cancellariæ apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque in contrarium præmissorum quomodolibet in synodalibus, provincialibus, generalibus, et universalibus, conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis, quibusvis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus pro tempore concessis, et concedendis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma

in illis tradita observata, et inserta forent, eisdem presentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, etiam plenissime ad præmissorum validissimum effectum specialiter et expresse, nec non opportune, et valide hac vice dumtaxat harum serie motu, scientia, et potestatis plenitudine pariter derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Præceptum de inscribendo redditu ecclesiæ cathedralis in libris cameræ apostolicæ.

§. 12. Volumus autem, quod ecclesia catholicis Sabariensibus per Nos, ut præfertur, erecta juxta ejus redditus de more taxari et hujusmodi taxa in libris cameræ apostolicæ describi debeat, quod que in exequutorem pro exequutione tamen earumdem præsentium, dilectus filius Noster, et Sedis apostolicæ prædictæ nuncius Viennensis, cum facultate subdelegandi, deputetur.

Sanctio poenalis.

§. 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ divisionis, separationis, dismembrationis, suppressionis, erectionis, institutionis, declarationis, constituti, assignationis, applicationis, addictionis, admissionis, concessionis, reservationis, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se nonerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo septuagesimo septimo decimo quinto kalendas julii pontificatus Nostri anno tertio.

CXXXVIII.

Dat. die 16 junii 1777. Anno III.

Bulla erectionis catholicis ecclesiæ Albaregalensis.

Pius episcopus

Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. In universa gregis Dominici cura ab ipso animarum pastorum principe Christo Domino licet immerentes constituti illud ex debito apostolicæ servitutis animadvertere satagimus, ne ubi multiplex ovium numerus adest, unus tantum pastor invigilet, qui licet eis in pascendis maxima præstet experientia, vox tamen illius ob agrorum distantiam haud facile potest audiri. Ob id quandoque gregem ipsum dividendo studemus, ut illius una et altera pars in eo in quo patulantur agro proprium habeat pastorem, qui si ovem aliquam longe abberare contingat, aut lupus insidiator illam devoraturus accedat promptius in ejus ire possit occursum. Atque id tanto citius ac libentius ad optatum perduci curamus effectum, quantum laudabiliora personarum regia dignitate fulgentium pia vota, ac desideria maxima quidem animi nostri lætitia in idipsum noscimus collimare.

Ratio deveniendi ad novam erectionem.

§. 2. Alias siquidem, videlicet de anno proxime præterito eo quod sicut tunc acceperamus diœcesis Veszprimiensis ea erat amplitudo, et extensio ut unus tantum pastor tam gravi ferendo oneri impar ac spiritualibus singulorum Christifidelium sibi commissorum necessitatibus adesse nequiret ad charissimæ in Christo filiæ nostræ Mariæ Theresiæ imperatricis viduæ, ac Hungariæ, et Bohemiæ reginæ apostolicæ, quæ pro catholicæ religionis incremento desiderio flagrat preces Nobis tunc per suas literas oblatas ab eadem Veszprimiensi diœcesi integrum comitatum Albensem nuncupatum, ac alterius comitatus Pilisiensis etiam nuncupati partem apostolica auctoritate perpetuo dismembrari, et dividi; nec non ecclesiam in regia ac libera civitate Alba-regalensi existentem, in qua olim, sicut etiam acceperamus, vetus aderat capitulum temporum vicissitudine deletum in ecclesiam cathedralem certis modo et forma tunc expressis ex tunc prout ex ea die videlicet postquam præpositura, et custodiatus ipsius ecclesiæ ex personis illam, et il-

lum in titulum tunc respective obtinentium quovis modo vacare contigisset, aut aliqua quacumque ratione de congrua futuri episcopi Alba-regalensis dote provisum fuit dicta apostolica auctoritate juxta unum perpetuo erigi; interim vero et donec vacatio præpositura, et custodiatus prædictorum advenisset in dicta ecclesia præfatæ civitatis in ecclesiam cathedralem in supradictum eventum, ut præfertur, tunc erigenda capitulum ejusdem ecclesiæ in forma sæcularis et collegiatæ ecclesiæ quod ex præpositura, quæ inibi principalis pro uno præposito, ac lectoratu, qui secunda pro uno lectore, ac cantoratu, qui tertia pro uno cantore, ac custodiatu, qui quarta respective dignitates existerent pro uno custode, ac duobus canonicatibus, totidemque præbendis pro duobus canonicis participantibus nuncupandis constare debuisset, ea tamen lege, ut capitulum prædictum in forma ecclesiæ collegiatæ, sic instituendum una cum diœcesi, et tunc desuper assignata eidem Veszprimiensi diœcesi donec ad realem dictæ cathedralis ecclesiæ Albaregalensis erectionem hujusmodi deventum fuisset subjectum foret juxta alterum decretum congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium rebus consistorialibus præpositæ sub die duodecima mensis novembris ejusdem anni proxime præteriti respective concederetur. Postmodum vero seu nuper cum, sicut accepimus, eadem Maria Theresia regina apostolica loco facto eidem vacationi præfatæ præpositurae cujus dum illa pro tempore vacat collatio, provisio, et omnimoda alia dispositio ad prædictam Mariam Theresiam reginam apostolicam, ut similiter accepimus, spectat, et pertinet per liberam resignationem dilecti filii Caroli comitis a Nesselrod nuper ipsius ecclesiæ præpositi de illa, quam tunc obtinebat sponte factam, et canonice admissam dictæ cathedrali ecclesiæ Alba-regalensi in supradictum eventum, ut præfertur erigendæ, nec non illius seminario ecclesiastico prospexerit; proindeque Nobis enixe supplicaverit, quatenus dictam cathedralem ecclesiam Alba-regalensem effective ac realiter ex nunc erigere dignaremur, veluti in aliis suis literis Nobis itidem datis ulterius exposuit.

Erectio episcopatus, et ecclesiæ Cathedralis

§. 3. Nos ad præmissorum relationem per dilectum etiam filium magistrum Petrum Mariam Nigronum utriusque signaturæ Nostræ referendarium, ac prædictæ congregationis secretarium Nobis factam, omnibus mature perpensis ejusdem Mariæ Theresiæ reginæ apostolicæ votis hac in parte clementer annuere volentes, motu proprio, et ex certa scientia prædictam liberam, ac regiam civitatem Alba-regalensem juxta canonicas sanctiones civitatis episcopalis titulo et honore dicta apostolica auctoritate perpetuo decoramus, nec non præsentem ibidem parochialem ecclesiam de apostolicæ potestatis plenitudine in ecclesiam cathedralem Alba-regalensem pro uno episcopo Alba-regalensi, qui omnibus episcopalibus insigniis, privilegiis, ac prærogativis eisdem modo, et forma quibus cæteri episcopi præsertim Hungariæ regni perfruuntur, et gaudent cum omnimoda jurisdictione episcopali in prædicta civitate Alba-regalensi, et infrascripta diœcesi, ut infra assignanda perfruatur, et gaudeat.

Creatio dignitatum in capitulo

§. 4. Et in ea unam præposituram, quæ inibi post pontificalem major pro uno præposito futuræ ipsius cathedralis ecclesiæ Alba-regalensis ut infra erigendæ præposito, ac unum lectoratum, qui secunda pro uno lectore, ac unum cantoratum qui tertia pro uno cantore, ac unum custodiatum qui quarta respective dignitates existant pro uno custode, ac duos canonicatus, totidemque præbendas pro duobus canonicis participantibus nuncupandis, noviter etiam respective futuris ejusdem cathedralis ecclesiæ Alba-regalensis ut infra erigendæ clericis, seu presbyteris, qui capitulum ipsius cathedralis ecclesiæ Alba-regalensis ut infra erigendæ constituant apostolica auctoritate etiam perpetuo ex nunc erigimus et instituimus.

Jurisdictio et congrua episcopi præfinitur.

§. 5. Ac futuro episcopo Alba-regalensi pro tempore existenti pro congrua sui substentatione, dictique seminarii dote, videlicet pro ejusdem seminarii bona, ac decimas ad prædictam præposituram, ut præfertur, resignatam pertinentia, nec non decimas in districtu Budensi, et Pilisiensi, prout et Albensi districtibus prædictis olim ad episcopatum Veszprimiensem spectantes, et ab eo perceptas. Pro dictæ vero cathedralis ecclesiæ Alba-regalensis per Nos, ut præfertur, erectæ respectiva dote decimas in prædicta civitate Alba-regalensi per pro tempore existentem archiepiscopum Strigoniensem dum adhuc eadem civitas, qua axempta ad jurisdictionem spiritualem dicti pro tempore existentis archiepiscopi Strigoniensis pertinebat pariter perceptas, et a venerabili fratre Nostro moderno archie-

piscopo Strigoniensi ad effectum supradictæ erectionis per Nos ut præfertur, factæ, respective cessas, et resignatas dicta apostolica auctoritate similiter perpetuo attribuimus, et respective applicamus et appropriamus.

Fines diœcesis novæ præfiniuntur.

§. 6. Nec non diœcesi futuri episcopi Alba-regalesi prædicti supradictum integrum comitatum Albensem, eamdemque partem alterius comitatus Pilisiensis prædicti ad diœcesim antea Veszprimiensem pertinentem (in quo terrarum tracta sexaginta, et duo parochiales, et matrices ecclesiæ præter filiales actu, ut pariter accepimus numerantur) prævia illorum a dicta Veszprimiensi diœcesi divisione, ac dismembratione eadem apostolica auctoritate itidem perpetuo concedimus, et assignamus.

Jus nominandi reservatur favore regis Hungarici.

§. 7. Et insuper jus nominandi, seu præsentandi a dicta Maria Theresia regina apostolica, ejusque in regno successoribus regibus infra tempus a jure præfixum Nobis et successoribus Nostris Romanis pontificibus pro tempore existentibus personam idoneam ad dictam ecclesiam episcopalem Alba-regalensem per Nos ut præfertur erectam a primæva illius erectione vacantem tam pro prima vice, quam et in posterum in futuris illius vacationibus pari prorsus modo quo ad Rojaonensem, seu Protaonensem eamdem episcopi aliarum cathedralium ecclesiarum in prædicto Hungariæ regno existentium a Sede apostolica præfici consueverant, ea tamen lege ut tam ipse futurus episcopus Alba-regalensis in dicta ecclesia cathedrali Alba-regalensi per Nos, ut præfertur, erecta, et a primæva illius erectione hujusmodi, ut præfertur vacante primo instituendus, quam ejus in prædicta ecclesia cathedrali Alba-regalensi, ut præfertur, episcopi successores omnes ordinariæ jurisdictioni ejusdem pro tempore existentis archiepiscopi Strigoniensis, ut eorum metropolitano subjecti sint, et esse debeant apostolica auctoritate prædicta similiter perpertuo clementer admittimus.

Item jus conferendi beneficia

§. 8. Parique modo eidem Mariæ Theresiæ reginæ apostolicæ, ejusque in prædicto Hungariæ regno successoribus regibus prædictis jus omnia beneficia ecclesiastica, omnesque canonicatus, et præbendas in capitulo dictæ cathedralis ecclesiæ Alba-regalensis, ut præfertur, erectæ prædicto per Nos, ut præfertur, instituto existentia, et existentes conferendi dicta apostolica auctoritate, etiam perpetuo reservamus, concedimus, et assignamus.

Clausulæ salutares.

§. 9. Decernentes easdem præsentes semper et perpetuo validas et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis ad quos nunc spectat, et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum firmiter et inviolabiliter observari debere, ac nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quamtumvis juridica et legitima, et ex eo quod causæ propter quas eædem præsentes emanarunt adductæ, verificatæ, et justificatæ non fuerint de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, aut intentionis Nostræ, seu quopiam alio quamtumvis magno, substantiali, inexcogitato, inexcogitabili, ac specialem, et individuam mentionem, et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in præmissis, eorumque aliquo solemnitates, et quævis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite de jure vel facto, seu statuto, vel consuetudine aliqua resultaute, seu enormis, et enormissimæ, totalisque læsionis, aut quocumque alio colore, prætextu, aliaque ratione, vel causa, et quamtumvis justa, rationabili, legitima, juridica, pia, privilegiata etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra, et aliis superius expressis nullibi appareret, seu aliter probari posset notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad viam et terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcumque juris vel facti, aut gratiæ vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus concepto, et impetrato vel emanato quempiam uti, seu se juvare in judicio, et extra illud posse, neque easdem præsentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, similibus limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus per quascumque literas et constitutiones apostolicas aut cancellariæ apostolicæ regulas, quandocumque etiam in crastinum assumptionis Nostræ, et successorum Nostrorum Romanorum pontificum ad summi apostolatus apicem etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus etiam consistorialiter ex quibuslibet causis et sub quibuscumque verborum expres-

sionibus, tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis etiamsi in eis de eisdem præsentibus, eorumque toto tenore ac data specialis mentio fiat editas, et in posterum edendas comprehendi; sed semper et omnino ab illis excipi, et quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas fore, et esse.

Decretum irritans.

§. 10. Sicque et non aliter per quoscumque judices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, dictæque Sedis nuncios, aliosve quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, prærogativa, ac privilegio fungentes, ac honore, et preæminentia fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate in quocumque judicio et in quacumque instantia judicari, et definiri debere, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 11. Non obstantibus, quatenus opus sit Nostræ, et cancellariæ apostolicæ prædictæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque in contrarium præmissorum quomodolibet, et in synodalibus, provincialibus, generalibus, et universalibus conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine hujusmodi pro tempore concessis, et concedendis. Quibus omnibus et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque toto tenore specialis, specifica, expressa, et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio aut quævis alia expressio, seu quælibet alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem præsentibus pro plene et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis omnibus in suo robore permansuris legitime, et plenissime ad præmissorum validissimum effectum specialiter et expresse, nec non opportune, et valide hac vice dumtaxat harum serie motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Præceptum de referendo redditu cathedralis in libris cameræ apostolicæ.

§. 12. Volumus autem quod ecclesia cathedralis Alba-regalensis per Nos ut præfertur erecta juxta ejus redditus de more taxari, et hujusmodi taxa in libris cameræ apostolicæ describi debeat, quodque in exequutorem pro exequutione tantum earumdem præsentium dilectus filius Noster, et Sedis apostolicæ prædictæ nuncius Viennensis, cum facultate subdelegandi deputetur.

Sanctio pœnalis.

§. 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ derogationis, erectionis, institutionis, attributionis, applicationis, approbationis, concessionis, assignationis, admissionis, reservationis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo septuagesimo septimo decimo quinto kalendas julii pontificatus Nostri anno tertio.